Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30778864

OF LONDON · MED

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

STERILITATE MVLIERVM

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET WITTGENSTEINII RELIQVA

SVB PRAESIDIO

SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS ET THEORETICES PROF. PVBL. ORDINARII CELEBERRIMI

PATRONI PRAECEPTORIS AC HOSPITIS SVMMA ANIMI REVERENTIA AD VRNAM VSQVE SVSPICIENDI

RRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI

DISQVISITIONI ERVDITORVM PVBLICAE EXPONIT

RESPONDENS AVCTOR

IOANNES SAMVEL ACKERMANN

STELZENDORFFIO - VARISCVS

AD DIEM MAII MDCCXXXIV.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

§. III.

Quatenus ſterilitatem definivi per impotentiam ad concipiendum, retuli ipſam ad ſymptomata actionis læſæ, & quidem abolitæ. Satis enim medicorum filiis notum eſt, quod conceptio ſit actio naturalis collineans ad conſervationem ſpeciei, qua ſpiritus ſeminis maſculi ab ovulo maturo muliebri, concurrente adfluxu ſpirituum matris, ita recipitur, ut in hoc deliteſcens primum hominis germen, ſive corculum cum quibusdam vaſis excitet, ipſi motum vitalem elaſticum imprimat, ſimulque lympham in ovulo contentam in dictas partes impellat, ac id tandem efficiat, quo, nullis ſonticis impedimentis enatis, e primis futuri hominis lineamentis, in ovulo deliteſcentibus, ope affluentis a matre ſucci nutritii, novem menſium ſolarium completorum ſpatio, fœtus maturus & perfectus exſtruatur ac edatur, qui vitalis, ſeu in vita ſuperſtes eſſe poteſt. Quodſi igitur in fœmina juſtæ ætatis viroque potenti juncta nulla adeſt potentia ſpiritum ſeminis maſculi in ſua ovula recipiendi, ut in horum germinibus novi hominis vita inchoëtur & corpuſculi humani exſtructio eo usque provehatur, donec ejusdem membra dignoſci poſſint, actio conceptionis, actu, & quidem ſecundo, ſeu exercito, læſa eſt, adeoque talis impotentia pertinet ad ſymptomata actionis læſæ. Nihil tamen obſtat, quominus certo ſenſu & ſub genuina explicatione ſterilitas etiam morbus dici queat, cum morbi definitio, multis etiam ſat rigoroſis medicis criticis familiaris, ad eam quadret, quibus nempe ille definitur impotentia corporis animati exercendi actiones, quæ homini competunt ſecundum ætatem, ſexum, atque vitæ genus, proveniens ex præternaturali conſtitutione vel diſpoſitione partium. Nam, docente *B. ac Celeberrimo WEDELIO, Patholog. Dogm. Sect. 1. c. 1. p. 11. 12.* morbus, dum dicitur impotentia, non eſt nuda ceſſatio agendi, ſed poſita impotentia, tanquam morbo & læſione actionis, demum ponitur actio læſa, tanquam ſymptoma. Sic hoc ſenſu etiam iſtæ virgines legitimæ ætatis poſſunt dici ſteriles, in quibus tam manifeſtum adeſt vitium corporis ſui, ut ex eo medicus certo poſſit pronunciare, eas non eſſe concepturas, licet jungerentur viris ad generandum aptis. Eſt igitur in his impotentia actu primo: non

vero

vero ſecundo ſeu exercito, qualis ſi ſe exerat per coitum reiteratum demum cum viris potentibus, eſt ſymptoma actionis læſæ, quoniam tunc actio concipiendi ipſo actu læditur. Atque hoc ſenſu in Diſſertatione præſente accipitur potiſſimum vox impotentia. Rarius enim paulo cura ſterilitatis a medicis efflagitatur a fœminis extra conjugium conſtitutis: quandoque tamen certis caſibus fieri ſolet, e. g. quando a matribus vel aliis, quæ puellis præſunt, coalitus & anguſtia nimia partium genitalium muliebrium obſervatur, ut ideo medici auxilium imploretur, atque ea propter medicus ſterilitatem actu primo talem etiam cognitam habere debet. Simul vero e data ſterilitatis definitione, me vel tacente licet, patet, quod eadem ab abortione ſit diſtinguenda, nec accurate loquendo fœminæ, quæ abortire ſolent, ſteriles dicendæ ſint. Steriles nempe mulieres proprie ſunt, in quibus opus generationis plane non inchoatur; abortientes vero, in quibus fœtus tam immature ejicitur, ut in vita ſuperſtes eſſe nequeat; adeoque etiam medici diſtinctis locis agere ſolent in ſuis ſcholis de ſterilitate & abortu. Reliqua tandem in definitione poſita verba exprimunt differentiam ſpecificam, quæ deſumta tum a ſubjecto, tum cauſa proxima, ſicut mox patebit e ſubſequentibus.

§. IV.

Cum igitur §. antecedens docuerit, quod ſterilitas ſit fœcundatio ovuli impedita a parte fœminæ, facile etiam clarum ſit, quod *Subjectum ſterilitatis generale & ut quod* ſit fœmina, non quidem omnis, ſed legitimæ ætatis, atque viri potentis conſuetudine utens. Requiritur ſcilicet in fœmina conceptioni apta primum ætas legitima, quæ ab annis pubertatis & primo menſium effluxus tempore, nempe anno circiter XIV, XV. & non raro ſerius etiam, ordinarie incipit, & ad annum usque XLVI. XLVIII. vel L. cum latitudine quadam extenditur. Etenim in his vitæ humanæ periodis non ſolum corporis magnitudo decens maximam partem jam adeſt, ſed ſimul bona conſtitutio partium genitalium, ut ideo hujus ætatis fœminæ viros optime admittere poſſint. Præterea eminet in iisdem corporis ſui robur ac ſuccorum vitalium copia ſeu potius abundantia, quæ ſe excretione ſanguinis ſuper-

flui ſingulis menſibus contingente maxime patefacit. Menſium vero abſentia, extra dictos annos ſolennis, indicium præbet non ſufficientis ſanguinis ac ſpirituum copiæ ad concipiendum, multo minus alendum fœtum, ideoque nec de ætate provectioribus fœminis, nec de puellis impuberibus poteſt dici, quod ſint ſteriles, licet etiam viris potentibus matrimonio ſint junctæ: nam ad hasce ætates officium generandi ordinarie non quadrat. Secundo requiritur ad fœminam actu ſterilem, ut copulata ſit cum viro potenti. Enimvero ad conceptionem abſolute opus eſt copula carnali maris cum fœmina, quo nempe ille in actu venereo evibret generoſum ſuum liquorem maſculum, tanquam cauſam novi motus vitalis primariam; haec vero ovulum maturum, primum hominis germen continens, actuandum a ſpiritu ſeminis maſculi & vivum reddendum ſuppeditet. Turpiter igitur ſe dediſſet Parlamentum Gratianopolitanum in Gallia, ſi filium matronæ cujusdam nobilis, quem ex fortiori imaginatione concubitus cum marito ſuo, per quadriennium jam abſente, conceptum mentiebatur, pro legitimo paternorum bonorum herede judicaſſet. Aſt cum *Doctiſſimo THOMA BARTHOLINO* totam hancce hiſtoriolam pro commento lucri cauſa facto potius habeo. Maritus autem potens iſte dicitur, qui habet genitalia bene conformata, & potiſſimum actum venereum alacriter & cum ſat copioſi ſeminis, cerebri humani recens diſſecti, vel eboris raſi odorem exhibentis, legitimique coloris ac conſiſtentiæ, excretione præſtare poteſt. Cum enim in animalibus docente Dogmaticorum Principe, *HIPPOCRATE, Lib. de natura human. c. IV. t. 1. generatio non fiat ab uno*, ſed a viro, qui generat in alio extra ſe, & fœmina, ex alio intra ſe, adeoque unius ſpeciei diverſo ſexu, ceu quæ neceſſario concurrere debent: ideo patet inde, quod citra cauſam hanc ſociam non fieri, nedum cogitari poſſit conceptio. Etenim fœmina juſta ad procreandam ſobolem ætate gaudens, licet vel maxime ovulum maturum & ad ſeceſſum ex ovario pronum in ſinu ſuo gerat, in quo jam ante conceptionem prima futuri fœtus rudimenta præexiſtunt; tamen hoc principio motus intrinſeco caret, & mortuum quaſi in ovario deliteſcit, nec unquam, niſi ab accedente ſemine virili ſpirituoſo motus vitalis in ipſo excitetur, novus homo inde

de

de exſtruitur. Illud enim dum a viro tempore congreſſus in arvum muliebre projicitur, per tubas Fallopianas, tunc rigefactas, & extremitatibus ſuis foliaceis ovaria circumdantes, ejusdem aura ſive pars ſpirituoſa, tanquam vera cauſa efficiens generationis, ad hæc aſcendit, perque poroſas membranas eorum in ipſa ovula matura penetrat, & fœtus futuri inibi contentis rudimentis motum vitalem communicat. Ovulum vero tale fœcundatum per incrementum corporis cujusdam lutei, tunicas ovarii perrumpentis, ex eodem liberatur, a tubis in dicto ſtatu adhuc conſtitutis excipitur, & per anfractuoſos earum canales ad uterum deportatur, cum quo poſtmodum concreſcit. Et ex hac connexione nutritio, vitæque fœtus continuatio inſtituitur ac conſervatur, usque dum poſt elapſum debitum tempus ille in lucem edi poſſit. Quodſi igitur fœmina ita comparata ſit, ut quidem viri potentis complexibus, ad legem & rationem a natura inſtitutam, fruatur, & tamen inde nulla conceptio ſubſequatur, nemo dubitabit in ſterilium cenſum eam reponendam, & pro *ſubjecto ut quod* hujus affectus habendam eſſe. Simul vero ex hoc fundamento patet, quod ſterilitas proprie dicta neutiquam de virginibus & viduis, licet ad hocce munus alias ſatis aptis, prædicari poſſit, quoniam tales ob cauſas morales a cohabitatione cum viris abſtinere tenentur, adeoque ſic ſpe fœtum concipiendi fruſtrantur.

§. V.

Quælibet actio a corpore noſtro exercenda determinatum requirit organon ad eam adaptatum. Cum igitur conceptio ſupra expoſita ratione ſit actio ſequiori ſexui propria, ideo ſapientiſſimum Numen eundem peculiari organo generationis exornavit, quo eo mediante opus generationis inchoari, continuari, & demum debito modo perfici poſſit. Vti autem ejusdem conveniens apparatus & ſtructura ad actionem hancce naturaliſſimam decenter exercendam requiritur, quo nempe fœminæ viros non ſolum debite admittant, & ſemini ejus prolifico & ſpirituoſo ad debitum locum acceſſum permittant, ſed & ovulo maturo ab hoc fœcundato ad uterum tranſitum, embryonique in hoc contento ibi debitam alimoniam concedant, & homini inde naſcendo commodum ad partas usque tempus præbeant domicilium: Ita, cum contrariorum

idem ſit ſubjectum, ſi organon hocce ad recipiendum æque & actuandum ſemen virile ineptius exiſtat, & a ſtatu naturali recedat, actionis hujus læſæ *Subjectum ſpeciale*, ſive *ut quo* conſtituit. Intelligimus autem ſub ejus nomine omnes, quæ ad illud efformandum pertinent partes, tam externas, congreſſui inſervientes, quam internas, generationis & conceptionis muneri deſtinatas, pudendum quippe, labia ejusdem, clitoridem, nymphas, hymenem, vaginam uteri, & hunc ipſum, ſive matricem, ovaria, ſive teſtes muliebres, tubas Fallopii, ipſaque vaſa ad has partes accedentia, tam ſanguifera, quam lymphatica & nervoſa; quarum deſcriptionem & delineationem cum ſatis accuratam exhibeant variorum celeberrimorum Anatomicorum libri, quorum haud parvum numerum *Excell. HEISTERVS Comp. Anat. Edit. 4. Tom. I. p. 100. ſeqq.* it. *Tom. II. p. 81. & ſeq.* allegat, ideo fuſiore earum enarratione & pertractatione, cum hic non profiteamur anatomicam deſcriptionem, nos commode ſuperſedere poſſe exiſtimamus. *Specialiſſimum* vero *Subjectum* uti conceptionis, ita & ſterilitatis ovaria conſtituunt; hæc enim materiam futuri hominis, ovula quippe matura, juſtæ magnitudinis, & ad ſeceſſum ex iisdem prona, a virilis ſeminis aura tempore congreſſus accedente fœcundanda, ſuppeditare debent. Quodſi autem talia non adſint, licet etiam ſemen ad ovaria pertingat, nulla unquam conceptio expectari poteſt, adeoque irriti fiunt complexus. Quod vero ex ovario proveniat novi hominis germen, & per tubas dicta ratione ad uterum devolvatur, tum ſedes ovuli, ex ovario elapſi, ſtatim ab imprægnatione in hoc a RVYSCHIO obſervata, tum ligaturæ tubarum mox poſt congreſſum a NVCKIO inſtitutæ, & ſupra partem ligatam reperta ovula fœcundata, tum ipſi fœtus, in ovariis & tubis Fallopianis reperti, imo aliis abdominis viſceribus adhærentes, & a variis Anatomicis annotati, ſatis perſpicue commonſtrant. Concidit igitur ſua ſponte novum illud, a *Cl. NABOTH. Diſſert. ſua de ſterilit.* prolixe deſcriptum ovarium, in ipſius uteri cavo, circa cervicem ejusdem quæſitum, nec noſtram allegatam ſententiam, tot experientiis magni nominis & famæ medicorum ſuperſtructam, evertit; cum præprimis recentiorum diligentia detexerit, quod hocce ovarium nihil aliud ſit, quam congeries glandularum, liquidum

mucagi-

mucaginoſum ſecernentium, quod in gravidis orificium uteri claudit, aut extra graviditatis tempus aliis quoque uſibus inſervit, uti multis videre eſt in *D. D. PRAESIDIS Diſſert.* cui *titulus: Obſervationes & Meditat. quædam anat. pract. circa opus generationis in fœminis §. 21, p. 20. ſeqq.* *Inadæquatum* denique *Subjectum* reliquæ corporis fœminei partes, præprimis vero viſcera tum ſanguinis generationi, tum hujus & lymphæ depurationi, ſecretionibus non minus & excretionibus deſtinata, conſtituunt; quorum culpa opus generationis turbari, cauſisque mediatis, inferius enumerandis, oriundis occaſio dari poteſt ac ſolet.

§. VI.

Perluſtrato adfectus noſtri ſubjecto, jam ad cauſas ejus exponendas nos accingimus, quarum *immediata* ſive *proxima* ſe primum conſiderationi noſtræ offert. Cum igitur §. 4. demonſtratum ſit, generationem abſolute ſupponere ſemen virile ſpirituoſum, prolificum, ejusque non ſolum a viro potenti, coitionis tempore, in vaginam, aut ipſum etiam uterum convenientem ejaculationem & immiſſionem, ac a fœmina admiſſionem, verum etiam auræ, ſive partis ſpirituoſæ volatilis ejusdem, tanquam cauſæ ovuli fœcundationis primariæ, ad ovaria acceſſum, in ovula ibi præſentia matura penetrationem, primique hominis germinis in his deliteſcentis & mortui quaſi actuationem & vivificationem: ſimul vero ad hocce negotium requiri ex parte fœminæ partium generationi deſtinatarum integritatem, perfecteque ſanam conſtitutionem ac ſtructuram: (§. 5.) ideo ſine negotio inde colligere licet, quod ſterilitatis, tanquam conceptionis abolitæ, *cauſa immediata* ſit talis organi generationis fœminei vitioſa conſtitutio, quæ vel admiſſionem genituræ virilis tum in vaginam uteri, vel ipſum uterum, tum auræ ipſius per vias huic operi deſtinatas ad ovaria, & in ovula ibi hærentia matura impedit, vel activitatem, actuationem & ἐνέϱγειαν, verbo, vim fœcundandi hujus extinguit; his enim poſitis conditionibus, ponitur etiam hæc actio naturalis læſa, nempe ſterilitas. Quæ vero hactenus expoſitam organi genitalis fœminei vitioſam conſtitutionem proximius efficere ſolent, iſta *cauſam mediatam proximiorem* conſtituunt, quam nunc luſtrabimus.

§. VII.

Recte autem hæc quærenda venit in vitio tum partium fluidarum, ad hoc organon accedentium, in eo undulantium & ibidem ſecerni & excerni conſuetarum: tum ſolidarum, hanc humanæ ſationis officinam, ipſiusque cavitates & meatus efformantium. Uti enim utrarumque bona & naturalis conſtitutio requiritur ad genituram virilem tum admittendam, tum ad debitum locum transmittendam, tum denique ipſius in ovula vim plaſticam exercendam; ita, ſi iſta a naturali ſtatu recedat, ut ad hocce officium præſtandum ineptior exiſtat, hanc actionem naturalem, conceptionis videlicet opus, inde turbari vel plane ſufflaminari neceſſe eſt. Fluida autem dicta vitioſe conſtituta nulla ſunt alia quam humores vitales, ex reliquo corpore ad hoc organon accedentes, & in eodem fluctuantes, nec non ab iisdem ibidem ſecerni & excerni ſoliti, vel quantitate vel qualitate vel motu peccantes, quorſum etiam commode ipſorum ſpirituum animalium vitium referri poteſt. Solidæ vero partes ſunt ipſi parietes cavitatum & meatuum ejusdem, fibræque hos conſtituentes, ſive illæ nimis increverint, ſive defecerint, ſive ſtrictiores, rigidiores ac breviores, ſive laxiores, flaccidiores & tono ſuo deſtitutæ, ſive p. n. diſtenſæ, ſive compreſſæ, ſive quoad ſitum vitioſe mutatæ, ſive denique eroſæ fuerint. Cum autem hujus organi diverſæ dentur partes, quarum aliæ congreſſui adeoque admiſſioni ſeminis virilis præſunt; aliæ vero conceptioni & generationi, hinc receptioni, transmiſſioni atque actuationi ipſius deſtinatæ ſunt: ideo, ut eo meliore in enumerandis cauſis procedamus ordine, primum diſpiciendum erit, quid rerum in partibus genitalibus externis & congreſſui deſtinatis peragatur, quidque impedimenti in iisdem occurrat, quod admiſſionem & immiſſionem genituræ virilis in vaginam uteri, vel hunc ipſum prohibere poſſit.

§. VIII.

Partes genitales congreſſui inſervientes, hinc admiſſioni & immiſſioni ſeminis virilis deſtinatæ §. 5. enumeratæ, inhabiles ad hocce negotium exiſtunt, maxime ob vitium parietum & fibrarum ipſas conſtituentium. Incrementum harum præternaturale in culpa eſt in iis, quibus labia vulvæ ſunt coalita, hujusque meatus

exiſtit

exiſtit occluſus, quæ in ſcholis medicis atretæ ſive imperforatæ vocantur. Hæc autem coaleſcentia, ſive ſit magna & profundior, ſive parva & ſuperficiaria, vel ab ortu primo ſtatim præſens eſt, qualem obſeruauit *FORESTVS obſ. L. 28. obſ. 55.* vel poſt hunc ex ſiniſtre tractatis prægreſſis unitatis læſionibus, ulceribus videlicet, intertrigine, ambuſtionibus, rupturis, vulneribus, maxime ob partum laborioſum prægreſſum aliasque cauſas, enatis, originem ſuam deſumit. Cujus rei teſtimonium adfert *FABR. AB AQVAPENDENTE Oper. Chirurg. p. 279.* & plures alii præter eum auctores. Idem vitium accuſandum venit in iis, quæ ex ſimili cauſa vel nympharum, vel orificii vaginæ, vel ipſorum hujus canalis parietum, vel denique ipſius orificii interni uterini concretionem & conglutinationem, ſive immediatam, ſive mediante carne vel membrana præternaturali factam ſuſtinent. Sufficiat nobis hac de re ex multis auctoribus ſolum allegare PLATERVM & NABOTHIVM, quorum prior *Lib. I. obſ. p. m. 241.* notabile recenſet exemplum, de actu venereo impedito in muliere nobili, ob cervicis uteri orificium ex partu difficili prægreſſo coalitum; poſterior vero *Diſſert. de Sterilitate* §. 4. non minus notabilem caſum, propria obſervatione adnotatum, de virgine, cui tota vaginæ orificii circumferentia a membrana p. n. occupata fuit, proponit, uti apud dictos auctores pluribus videri poteſt. Sub hac claſſe quoque militat nympharum atque clitoridis ad monſtroſam usque magnitudinem factum incrementum, quorum prius obſervavit *PANAROLLVS pentec. 4. obſ. 3.* poſterius vero jam laudatus *PLATERVS obſ. L. 3. p. m. 627.* Huc etiam trahi merentur excreſcentiæ varii generis, tum carnoſæ, ut ſacromata, tum fungoſæ, tum membranaceæ, condylomata non minus ac polypi carnoſi. Quorſum etiam ſuo modo referri poſſunt tumores diverſæ indolis, tum ſcirrhoſi, tum cancroſi, tum alii, in & circa hasce partes enati, ipſasque obſidentes, quorum exempla apud *THOM. BARTHOLIN. Hiſt. Anat. L. 2. obſ. 58. PVRMANNVM obſ. Chir. obſ. 44. 45. p. m. 220. ſeqq. TVLPIVM obſerv. L. 3. c. 33 & 34. RVYSCHIVM obſ. 6.* & *FORESTVM obſ. L. 28. obſ. 45. & 53.* videri ac legi poſſunt. Hæc igitur vitia, ſive occupent orificium pudendi, illudque conſtipent, ſive vaginæ parietes obſidendo ipſius meatum vel

ex toto, vel maxima ex parte repleant ac obſtruant, ſive ipſius parietes præternaturaliter connectendo eam plane occludant, impedimento eſſe ſolent, quo minus vir fœminam ingredi, conceptionisque medium, ſemen ſcilicet ſuum prolificum in loca convenientia emittere & immittere valeat. Rigiditas, ſtrictura & abbreviatio fibrarum nimia & præternaturalis conjunctioni conjugali obſtaculum ponit, ſi hi meatus & cavitates debita deſtituantur amplitudine, & anguſtiores exiſtant, quam ad excipiendum virile membrum requiruntur. Tale autem vitium plerumque eſt congenitum & fundamentum ſuum in ſicciore ſtatu & intemperie ſicca totius corporis ordinarie habet, utpote unde fibræ debita ſua flexilitate ob humidatis blandæ, hanc ipſis conciliantis, defectum deſtituuntur, hinc ſucceſſive juſto breviores & ad cedendum inhabiles evadunt, & ſic ambitum hujus canalis vel totius, vel partis tantum ejus, anterioris præprimis, nimis anguſtum præſtant, qualis ſtatus plerumque inſanabilis eſſe ſolet. Aliquando tamen contingit, ut talis fibrarum conditio, indeque dependens anguſtia, ex aliis cauſis, poſt ortum accedentibus, oboriatur, nempe ex unitate læſa in his partibus prægreſſa, unde fibræ coalitæ adeo calloſam induunt naturam, ut hinc vix, vel magna cum moleſtia, dilatationem & extenſionem ſubeant; immo aliquando tantam illæ acquirunt duritiem, quæ plane cartilaginoſum ſtatum refert, qualem vaginam obſervavit *RIOLANVS anthropolog. l. 2. c. 32.* Fœminæ vero Franconicæ anguſtia vaginæ nativa laborantis meminit *B. Ill. WEDELIVS Pathol. Dogmat. p. 642.* Hæ igitur partium genitalium præternaturales diſpoſitiones, præprimis majori gradu tales, impedimento eſſe ſolent, quo minus mas & fœmina in mutuos ruant amplexus, & ille ſemen ſuum in debitum locum effundere queat, non obſtantibus exemplis quibusdam de anguſtioribus, nihilominus tamen impraegnatis a *MOENICHEN, obſ. 13.* & *BLEGNY, Zod. Med. Gallic. ann. I. menſ. Novembr.* aliisque in contrarium prolatis, utpote rariſſime contingentibus, hinc leges naturæ ordinarias non evertentibus. Interdum etiam fieri ſolet, ut tumores in vicinia hærentes, duri præprimis & ſcirrhoſi, hinc & alii, pondere ſuo majorem in hujus canalis flexilis parietes niſum & actionem exercentes illum comprimendo anguſtiorem, & ſic ad

excipi-

excipiendum & admittendum veretrum inhabilem reddant. Simile quid ſæpe contingit, ſi vaginæ ſuperficies ulceribus mali moris & rebellioribus, tum venereis, tum cancroſis, tum aliis ſit obſeſſa, ipſiusque fibræ eroſæ & conſumptæ: Etenim hoc vaginæ ſtatu præternaturali rariſſime coitus, ob averſionem tum in fœmina, propter dolorem ex eo metuendum, tum in mare, ob immunditiem harum partium & fœtorem, aliaque incommoda, celebratur. Aliquando etiam ejusmodi exulceratio tanta evadit, ut totius vaginæ corruptionem & conſumptionem poſt ſe trahat, adeo, ut hæc pars plane peſſum eat; quale quid etiam ſphacelum ejus, fœminis ſuperſtitibus, præſtitiſſe, auctores obſervarunt. Notabiles de utroque caſu ex diverſis ſcriptoribus medicis recenſet hiſtorias *NABOTH. Diſſ. de Sterilit.* §. 8. ubi etiam mentionem facit defectus vaginæ connati, a *COLVMBO de re Anatom. l.* 15. obſervati. Tandem ipſa fibrarum laxitas, & inde dependens uteri & vaginæ ſitus mutatus, procidentia videlicet utriusque gravior, impedimentum ſtruit, quo minus fœmina virum debito modo admittat. Quoniam enim uterus e ſede ſua exturbatus & ad extra propendens occupat non ſolum totius vaginæ canalem, immo hanc ipſam aliquando ſecum rapit; ſed & ob prominentiam extra corpus orificium vaginæ conſtipando occludit, ideo nullum relinquit peni in hunc locum immittendo ſpatium, adeoque ſic admiſſionem ſeminis impedit. Præprimis autem tale quid fit, ſi gravior ſit uteri prolapſus, vel hic ob varia vitia, nempe vel ob ſcirrhoſitatem, vel cancroſum ſtatum, vel excreſcentias ipſi adnatas, ſui repoſitionem vel plane non admittat, vel tamen contraindicet.

§. IX.

Abſolutis igitur vitiis admiſſionem ſeminis virilis impedientibus, in partibus congreſſui deſtinatis occurrentibus, jam ordo nos ducit ad partes internas, generationi & conceptioni, adeoque genituræ virilis transmiſſioni & actuationi inſervientes. Hæ autem ad hocce munus ineptæ exiſtunt partim ob vitium partium ſolidarum, fibrarum quippe ipſas conſtituentium, partim vero fluidarum, ad eas accedentium & ibi ſecerni & excerni conſuetarum. Orificium uteri internum quod attinet, quod primo loco conſiderandum venit ex hiſce partibus, iſtud inhabile exiſtit ad ſemen vi-

rile transmittendum, ſi vel plane ſit occluſum, vel ultra modum anguſtatum, vel ſitum ſuum naturalem in præternaturalem permutaverit. Occluditur autem illud ſi fibræ ipſius præternaturale incrementum capiant, & parietes coaleſcant: quale quid ordinarie ob unitatem læſam circa illud prægreſſam, ut excoriationem ex partu difficili, aut exulcerationem, teſte *SYLVIO Prax. Med. L. 3. c. 5. §. 21.* contingit: interdum tamen etiam talis coalitus ſolet eſſe nativus. Idem fibrarum vitium in culpa eſt, ſi excreſcentia carnea, circa hunc locum enata, aperturam hancce obturet & obſtruat, quale exemplum legi poteſt in *Miſc. N. C. Dec. I. ann. 2. obſ. 208.* Aliquando tamen fieri ſolet, ut citra fibrarum manifeſtum vitium hoc orificium ab humore admodum viſcido, craſſo ac valde glutinoſo nimis obſtruatur & occludatur, quale quid in cadaverum ſectionibus ſe jam laudatus *SYLVIVS l. c.* obſervaſſe teſtatur. Ipſa hæc occluſio, vel præternaturalis quoque anguſtatio, haud raro fundamentum ſuum habet in præternaturali ſtrictura, rigiditate, abbreviatione & ſubſidentia, immo & calloſa duritie fibrarum, hoc orificium efformantium, ſive hæc ab intemperie uteri ſicca, eaque vel connata, vel poſt nativitatem per varias cauſas inducta; ſive a læſione unitatis prægreſſa & conſolidata, ortum ſuum ducat. Tali enim præſente ſtatu, quia diameter aperturæ dicti orificii ita imminuitur, ut parietes ad ſe invicem accedant, fibræ vero debita ſua flexilitate & elaſticitate deſtitutæ extenſionem ſubire nequeant; aliter fieri non poteſt, quin ſemini virili tum in uterum, tum ex hoc vel ſemini ipſi, vel auræ ipſius in tubas Fallopianas aditus & tranſitus præcludatur. Interdum monente *HEVRNIO l. 5. de morbis mulierum cap. 4.* occupat os uteri tumor calloſus, aquoſus, inflammatorius, vel teſte *DOLAEO, Encyclop. med. l. 5. c. 5. p. m. 906.* intumeſcentia glandularum uteri cervicalium, vel alius quoque tumor, tum ſcirrhoſus, tum cancroſus, tum alius indolis; quorſum etiam §. præcedente allegata uteri procidentia referri meretur: Ut ipſa ulcera illud quandoque obſidentia jam non adducam, ceu quæ omnia vel conſtipando, vel ambitum hujus orificii nimium anguſtando, ſemen virile e loco ipſi deſtinato exeſſe jubent. Non minus hoc præſtare ſolent tumores in vicinia hærentes duri, qui partim magnitudine, partim

pondere

pondere illud comprimendo, debitam ipſi adimunt capacitatem. Ita ab omnibus fere auctoribus medicis, præprimis antiquis, immo & recentioribus nonnullis, nimia obeſitas & omenti imprimis nimia craſſities pro cauſa talis compreſſionis allegatur; inductis iisdem in hanc ſententiam per aphorismum *HIPPOCRATIS 46. Sect. V: Quæcunque præter naturam craſſæ exiſtentes non concipiunt in utero, his omentum os uteri comprimit, & priusquam attenuentur, non concipiunt.* Varias quidem de hujus aphorismi ſenſu auctores aluere ſententias, quas tamen, ob brevitatis ſtudium, ſilentio hic præterimus. Noſtram vero ſi nobis de eo aperire liceat mentem, longe aliam ſubeſſe rationem, cur obeſæ ſint ſteriles, quam compreſſionem dictam, ſtatuimus. Non ſolum enim ſententiæ *Auctoris RIVERII REFORMATI Prax. Med. lib. 3. c. 14. p. m. 459.* ſubſcribimus, qui obeſitatem nimiam & omenti craſſitiem eatenus ſterilitatem inferre aſſerit, quatenus ob ventrem propter pinguedinem nimis prominentem, impediatur penis in vaginam introductio, adeoque ſeminis virilis immiſſio, ex quibus impotentia ad concipiendum & generandum conſurgat; cui aſſertioni ſuffragium addit *AETIVS*, qui *Tetr. 4. ſ. 4. c. 26.* pingues ideo ineptas, ad pueros gignendos, eſſe judicat, quoniam pudenda inter ſe coaptare nequeunt; ſed & cauſam veram cur obeſæ non concipiant, in ipſo humorum earundem vitio quærendam eſſe, haud ſine ratione cenſemus. Cum enim nulla obeſitas oriri poſſit, niſi ſanguis & ſerum partibus viſcido-oleoſis ac gelatinoſis abundet, partes vero activiores, ſalinæ nempe volatiles alcalicæ, ceu quæ ad conſtitutionem ſpirituum præprimis ſimul concurrunt, ſæpe ſint in ſubdominio nimio; hinc, cum tali ſtatu præſente partes ſpirituoſæ non ſolum parciori quantitate evolvantur & ſecernantur, quæ tamen debita copia præſentes & vegeto ſuo affluxu vim tonicam & convenientem elaſticitatem, immo & exquiſitum ſenſum fibris, tum muſcularibus, tum nerveis conciliant; verum etiam ob humoris inertis abundantiam, nimiam laxitatem hæ acquirant; ideo in congreſſu, cum ob hanc cauſam non ſufficiens citetur ſpirituum affluxus, fœmina etiam non præciſe eo tempore, quo vir generoſum ſuum liquorem emittit, in oeſtrum venereum rapitur, hinc nec tubæ decenter eriguntur, ſed potius ob flacci-

dam & quaſi valvuloſam in uterum inſertionem, auram ſeminalem impediunt, quominus vis ejus activa ſe rite explicare, & ad ovaria, tanquam deſideratum portum, appellere queat; quin potius ea in utero obtundatur & extinguatur. Interim tamen nec id negare omnino ſuſtinemus, quod, ſi omentum præpingue plus ultra deorſum protractum ſit, illud ad mentem *Excell. STENZELII Diſſert. de venen. ſterilit. inducentib. §. 18. pag. 18.* ovaria mole atque oleoſo lentore comprimere, poros apertos eorum obſtruere, & ovulorum ad uterum deſcenſum impedire, adeoque auram ſeminalem inefficacem reddere queat. Hoc autem de fœminis obeſioribus aſſertum neque abſolutum, neque univerſale ſemper eſſe, & quotidiana loquitur experientia, & ipſa *B. & Ill. WEDELII* docet obſervatio, qua *Pathol. Dogm. p. 639. & Diſſ. de Sterilit. p. 17.* craſſas & obeſas ſatis genuiſſe confirmatur. Potior ejusmodi compreſſionis effectus, tum in hoc uteri orificium, tum in ipſius quoque uteri corpus, omento inſigniter & admirandum in modum tumefacto adſcribi poteſt, cujus exempla recenſet *MARCELL. DONATVS l. 7. de hiſt. med. mirabil. c. 4. p. 673.* Tandem ſupereſt hujus orificii ſitus valde vitioſe mutatus, ſemini ad uterum aditum intercludens. Eſt autem hic talis, ſi orificium non in medio vaginæ ſit poſitum, ſed modo verſus ſiniſtrum, modo dextrum latus multo directum ſit, modo oſſa pubis reſpiciat, modo vero retrorſum nimis inclinet. Confirmat hanc noſtram ſententiam HIPPOCRATES, quando ςόμα τῆς μήτρας μὴ ὀρθὸν pro cauſa ſterilitatis accuſat, cui etiam adſtipulatur *HEVRNIVS l. c. c. 5. & inſtit. l. 5. c. 4.* Tale autem vitium haud raro eſt congenitum, aliquando tamen ab aliis cauſis dependet e. g. a tumore in vicinitate extra hoc orificium hærente, & illud verſus partem oppoſitam præternaturali modo deprimente; immo & aliquando, licet non ſemper & abſolute, a gibboſitate grandiore, maxime ſi flexio vitioſa deorſum, & ad uterum ipſum, ut verbis *B. WEDELII Diſſert. de ſteril. mulier. p. 19.* utar, redundet, & orificii hujus & uteri ipſius ſitus naturalis in vitioſum mutetur.

§. X.

Nunc ad ipſius uteri corpus, ſive matricem pervenimus, quippe

quæ ad ſemen virile transmittendum & actuandum inhabilis eſt, ſi vel ſolidæ ejus partes vitioſam conſtitutionem ſuſtineant, vel fluidæ, ad ipſam accedentes, in eadem circulantes & ab iisdem ſecerni & excerni conſuetæ, varia ratione peccent. Solidarum partium vitium idem fere eſt, quod in luſtratis partibus, admiſſionem ſeminis præſtantibus, huic contrarium offendimus. Laborat nimirum uterus ſarcomatibus & excreſcentiis varii generis, teſtantibus id auctoribus; obſidetur tumoribus diverſæ naturæ ac indolis, tum ſcirrhoſis, tum cancroſis, tum aliis, ipſius cavum vel ex toto, vel ex parte replentibus. Infeſtatur ſæpe ulceribus gravioribus, præprimis ex partu difficiliori & infeliciori, haud raro tamen etiam ex aliis cauſis enatis, iisque vel ſimplicibus, vel rebellioribus, haud exiguam interdum puris quantitatem fundentibus, teſte *PLATERO L. 2. obſ. p. m. 444.* vel cancroſis, quale cum ſterilitate annotavit *IDO WOLFFIUS Obſ. Chir. Med. Lib. 1. obſ. 35.* nec non *PECHLINUS Lib. 1. obſ. 22. p. m. 50.* Hæc enim tum anguſtando uterum, ob humores majori copia affluentes, in vaſis ipſius ſubſtantiæ ſtagnantes hancque tumidam reddentes, tum obſtruendo inſertiones tubarum Fallopianarum, & contagium ſeminale extinguendo, ob puris in hac cavitate factam collectionem, tum ipſam uteri ſubſtantiam ſolidam erodendo, conſumendo ac deſtruendo, infœcundas reddunt fœminas. Confirmat hujus aſſerti noſtri veritatem *DIVUS SENEX lib. 1. de morb. mulier. cap. 7. t. 1. & 5.* ſequentibus verbis: *Sterilis evadet, ubi magna ulcera fuerint in uteris facta.* Idem contingit ex uteri prolapſu, non quidem omni, ſed graviori, ſcirrhoſi, cancroſi a *RUYSCHIO Obſ. Anat. Chir. VII.* deſcripti, vel cum annexis ſimul ſarcomatibus, vel excreſcentiis polypoſis ex ipſius orificio interno propendentibus, conjuncti, a jam laudato *AUCTORE obſ. VI. p. 12.* adnotati, ſicque, vel ob aliam cauſam, ſui repoſitionem non admittentis, vel ulcere peſſimo obſeſſi, & ob illud extirpati & ablati, quale exemplum adducit *PLATER. l. 3. obſ. p. m. 718.* vel ſphacelo corrupti, & ideo ſui abſciſſionem poſtulantis, quo de tanquam oculares teſtes teſtantur *PARAEUS oper. L. 23. c. 41.* & *PEYERUS Ephem. Germ. Dec. II. ann. I. obſervat. 84.* Aliquando hujus partis cavitas p. n. anguſtatur ob compreſſionem a tumore extra eam in vi-

cinitate

cinitate hærente factam, quale quid ab omento lapidoſo ad uterum usque protenſo factum eſſe, una cum ſterilitate, annotavit *PANAROLLVS Pentec. 3. obſ. 10.* Quidam etiam talem compreſſionis effectum obeſitati nimiæ, præprimis vero præpingui omento adſcribunt. Quid vero de hac ſententia ſit ſtatuendum, & in quantum ea admittenda, ſuperius §. 9. expoſuimus. Non minus fibrarum uterum componentium nimia ſiccitas, rigiditas, abbreviatio & ſtrictura, quæ a veteribus intemperies ipſius ſicca vocabatur & interdum connata exiſtit, aliquando vero poſt ortum per ſæpius repetita exercitia corporis vehementiora, varia occaſione inſtituta, vel ob ſanguinem in toto hærentem acriorem & fervidiorem, & inde nimis diſſipatum humidum blandum, vel ob aliam quoque cauſam inducitur, in culpa eſt, quominus aura ſeminalis ad debita loca pertingat, & activitatem ſuam exerceat: id quod eo certius contingit, ſi uteri tota ſubſtantia adhuc magis induruerit, & vel ſcirrhoſa, vel cartilaginea, vel lapidoſa evaſerit. Ejusmodi indurati uteri, qui vix cultro acutiſſimo, nec niſi maxima vi adhibita, poſt mortem diſcindi potuit, exemplum recenſet *SCHOLZIVS Eph. Germ. Dec. I. ann. 2. obſ. 60.* cartilaginei redditi *CNOEFFELIVS l. c. Dec. I. ann. 4. & 5. obſ. 57.* lapidoſi vero propria obſervatione adnotati *MARCELLVS DONATVS de hiſt. med. mirab. l. 7. c. 2. p. 663.* Idem tenendum eſt, ſi fibræ tum muſculares, tum nerveæ uteri contrario vitio laborent, & laxitatem præternaturalem ſuſtineant, debitaque ſua & elaſticitate & ſenſilitate deſtituantur, verbo, uterus atonia ſit affectus, ceu quæ haud immerito a plerisque auctoribus medicis pro frequentiſſima infœcunditatis cauſa allegatur, & quidem inter alios ab *Illuſtr. FRID. HOFFMANNO Med. rational. Syſtem. Tom. III. Sect. 1. c. 4. p. 81.* it. *cap. 10. §. 7. p. 227. SYLVIO oper. lib. III. cap. 5.* & multis aliis. Quemadmodum enim in præternaturali fibrarum ſiccitate, ſtrictura ac rigiditate non ſolum uteri cavitas & omnes ejus poroſitates, meatus & vaſorum extremitates anguſtantur, ſed etiam ob eandem cauſam orificia tubarum comprimuntur & occluduntur, ſicque auræ ſeminalis tranſitus in & per easdem ad ovaria impeditur, immo ea, ob intemperiem calidam uteri haud raro conjunctam, diſſipatur; ita, ſi fibræ laxiores, flaccidiores & minus

ſenſiles

ſenſiles exiſtant, ob deficientem ſufficientium ſpirituum affluxum, congreſſus tempore, non decenti ratione ſeſe contrahunt, nec ipſæ eriguntur, hinc nec tubarum inſertiones decenter aperiuntur ac ſpiritum ſeminis maſculi excipiunt, ipſumque ad ovaria deferunt, ne dicam, quod ex hac cauſa multæ humorum congeſtiones, extravaſationes & præternaturales excretiones in utero contingant, quæ activitatis ſeminis extinctioni poſtmodum occaſionem præbent, & tonum fibrarum jam dum nimis debilitatum adhuc magis talem reddunt; immo ipſum appetitum venereum in foeminis imminuunt, vel plane extinguunt, vel tales has efficiunt, ut nullam ex coitu voluptatem percipiant: Ex hac cauſa ſterilis fœminæ notabile recenſet exemplum BALDAS. TIMAEVS von Güldenklee *Lib. 4. caſ. medicinal. caſ. 19.* Ejusmodi autem fibrarum ſtatus laxior, quem veteres intemperiei frigidæ & humidæ nomine exprimebant, non per ſe oritur, ſed modo ob diſtenſionem earum vehementiorem ex puerperio laborioſiori & difficiliori, ipſoque abortu, quorſum etiam trahi poſſunt molæ ipſæ, ceu poſt quas rarius imprægnari mulieres, aut, ſi conceperint, facile abortum pati, aut morboſum foetum eas excludere, ob uteri vehementem debilitatem a molis relictam, teſtis eſt Cel. CHR. VATER *Diſſ. de mola §. 18. p. 23.* modo vero & præprimis ob fluida, vel quantitate vel qualitate vel motu peccantia, in ipſis uteri vaſis & cavitatibus hærentia & fluctuantia; de quibus paulo poſt fuſius dicendi locus erit. Egregie autem de hisce jam enumeratis & adhuc exponendis uteri vitiis diſſeruit antiquiſſimus artis Medicæ Profeſſor HIPPOCRATES, *V. aph. 62.* ubi ita loquitur: *Quæcunque frigido & denſo vel compacto ſunt utero, item quæ præhumido ſunt utero, non concipiunt, nam iis ſemen genitale extinguitur, tum etiam quæcunque ardenti ſunt utero & ſicco: nam alimenti inopia ſemen inde corrumpitur; At vero quæcunque ex utrisque oppoſitionibus modico & temperato ſunt utero,* ſub quo, ut verbis *Ill. FR. HOFFM. Diſſert. de abortu §. 25.* utar, nihil aliud, quam tonus & robur uteri æquabile, moderatum, ad liberum ſanguinis circuitum aptiſſimum, ſubintelligitur, *hujusmodi ſane ſunt fœcundæ.*

§. XI.

Exponenda nunc eſſent vitia partium uteri fluidarum, actuationem præprimis ſeminis virilis impedientia: aſt cum hæc non tam matricem ſolam, quam potius reliquas organi generationis fœminei partes, præprimis internas, conceptioni deſtinatas, ſimul reſpiciant & una, eademque ratione afficiant; ideo antequam ad ea ennucleanda accedamus, prius ſubnectere nobis licebit vitia partium ſolidarum tum tubarum Fallopii, tum ipſorum ovariorum. Tubas autem Fallopianas quod concernit, cum id habeant officii, ut auram ſive ſpiritum ſeminis virilis ad ovaria transmittant, poſtmodum vero ovulum fœcundatum ex iisdem excipiant, & ad uterum deportent; hunc autem in finem coitus tempore rigidae fiant, & fimbriis ſuis ovarium amplectantur: (§. 5.) ideo ad hocce negotium ineptæ evadunt, ſi fibræ ipſas conſtituentes iisdem, ac de utero & reliquis partibus adduximus, laborent vitiis. Tale autem quid contingit, ſi præter naturam conſtringantur & abbrevientur, ſicque nimium anguſtetur diameter horum canalium, ita, ut in coitu ſufficienter expandi & ampliari nequeant, qualis ſtatus ordinarie ab intemperie ſicca totius corporis plerumque congenita dependet. Multo magis vero id metuendum eſt, ſi callo fuerint obſitæ, quales tubas in fœmina ſterili, poſt mortem aperta, obſervavit DOLAEVS *Encyclopæd. Med. Dogm. L. 5. c. 5.* vel ſcirrho ſint adfectæ, vel plane, modo circa inſertionem, modo vero in ipſa canalis continuatione, ob unitatem læſam prægreſſam vel aliam cauſam, ſint coalitæ, vel etiam excreſcentiis carnoſis aut tumoribus obſeſſæ & occluſæ. Haud nunquam conceptionis ſufflaminatæ cauſam conſtituit tubarum nimia ab ovariis diſtantia & brevitas, teſte AVTORE RIVERII REFORMATI *Pr. med. Lib. III. cap. 14.* ita, ut licet decenti tempore rigeant, & omnia debita ratione peragantur, tamen quia fimbriis ſuis ovaria attingere, hinc circumdare non poſſunt, neque ſic ſpiritus ſeminis genitalis ad eadem pervenire, & in ovula matura ibi hærentia penetrare poteſt. Idem tenendum eſt, ſi tubæ nimiam longitudinem obtineant, & rigidæ factæ ultra ovaria protendantur. Nec minus ipſa atonia & laxitas fibrarum earundem eundem poſt ſe trahit effectum, ex quacunque etiam cauſa illa dependeat;

pendeat. Cum enim ob eandem non ſolum inſertiones tubarum congreſſus tempore non decenter aperiantur, nec totus canalis debito modo erigatur & amplietur; ideo non poteſt non fieri, quin inde auræ ſeminalis per easdem tranſitus & ad ovaria acceſſus impediatur. Interdum ipſæ hæ tubæ exulcerationem ſuſtinent, vel replentur quoque & obſtruuntur tum per fœtum inibi enatum & corruptum, qualem per operationem Chirurgicam extraxit CYPRIANVS, & in peculiari Epiſtola prolixe deſcripſit, tum etiam per calculos, quales in fœmina ſterili obſervavit DOLAEVS *l. c.* Recte hinc cum *B. & Ill. WEDELIO Differt. de Steril. p. 21.* concludimus, quod, ſi, licet poſitis omnibus requiſitis (in quantum cognoſci poſſunt,) in utroque ſexu concurrente ad conceptionem, tamen nulla fiat, id ordinarie vitium vel tubarum vel ovarii occultum, minusque ſenſibus obvium & a poſteriori demum cognoſcendum pro cauſa agnoſcat.

§. XII.

Similibus premuntur incommodis ipſi teſtes ſive ovaria muliebria. Nam cum hæc ipſam futuri hominis materiam, ovulum quippe maturum ſpiritu ſeminis virilis irrorandum & fœcundandum, idque ad ſeceſſum ex ipſis pronum, ſuppeditare debeant; ideo huic muneri præeſſe nequeunt, ſi fibræ ipſorum ovulorum & ovarii membranas conſtituentes ſint nimis rigidæ, ſtrictæ & craſſæ, ita, ut, licet aura ſeminalis ad ea deferatur, illa tamen neutiquam in ovula penetrare, & ipſa fœcundare valeat; aut ſi vel maxime hoc fiat, ob eandem cauſam illa ex ovario liberari non poſſint, quin potius vel corrumpantur ac deſtruantur, vel in foetum ibidem præternaturali modo abeant, & conceptum ita dictum ovariorum, paſſim ab autoribus obſervatum, teſte ſæpius laudato *Cel. HEISTER. Comp. Anat. Edit. 4. Tom. II. pag. 84.* conſtituant. Simile quid contingit, ſi tota ovariorum ſubſtantia ſit ſcirrhoſa, indurata vel exulcerata, vel calculoſa diſpoſitione laboret, vel tumore adfecta. Fruſtra quoque conceptio expectabitur, ſi plane deficiant tum ovula matura & ad foecundandum apta, tum tota eorum ſedes, ipſa videlicet ovaria, idque vel ex vitio congenito, vel etiam ob prægreſſam exciſionem & caſtrationem aliquando adminiſtratam: qua de re legi poſſunt *SCHEN-*

CKIUS Lib. 4. obſ. Tit. caſtratio obſ. I. FRANCKENAU Satyr. med. II. §. 1. item *B. & Illuſtr. WEDELIUS Diſſert. de Steril. pag. 27.* Cum enim ovaria reſecantur, ſimul auferuntur futuri hominis rudimenta, ablatumque eſt germen, quo ſpiritus ſeminis virilis progerminare facit hominem. Ipſum denique omentum præpingue, ad ovaria usque protractum, hæc non ſolum mole ſua comprimere, verum etiam oleoſo lentore inviſcare & obſtruere, immo & ipſum ovulorum deſcenſum ad uterum impedire & ſic conceptionem lædere, haud ſine ratione ſtatuit *Cel. STENZEL Diſſert. de venen. Sterilit. inducentib. §. 18. p. 19.* uti quoque haud deſunt ex auctoribus, qui ſimilem effectum pinguedini nimiæ ovariis adnatæ ipſaque circumdanti adſcribere ſatagunt.

§. XIII.

Hæc igitur expoſita ac perluſtrata partium ſolidarum totius organi generationis vitioſa conſtitutio, uti admiſſionem & actuationem ſeminis virilis impediendo fœminas infœcundas reddit; ita haud levioris momenti & efficaciæ in eodem præſtando & actionem hancce ſufflaminando deprehenduntur partes ejusdem fluidæ vitioſe conſtitutæ. Intelliguntur autem per easdem, uti ſuperius §. 7. jam monuimus, tum humores vitales, ſanguis quippe & ſerum ad hanc partem, humani generis propagationi deſtinatam, circulationis lege depoſiti, in eadem per innumeras vaſorum myriades promoti & ab his per vaſa ſecretoria & excretoria ſeparati, tum ipſi ſpiritus, debitum tonum, elaſticitatem, ſenſilitatem & vigorem, vegeto ſuo affluxu, ſolidis æque ac reliquis fluidis conciliantes. Horum igitur conſtitutio naturalis cum conſiſtat in decenti quantitate, qualitate & motu; ideo, ſi vel quantitate aut excedant, aut deficiant, vel qualitate peccent, vel ipſorum motus ſit læſus, non poteſt aliter fieri, quam ut vel ſeminis admiſſio & ad debitum locum conveniens penetratio impediatur, vel ejusdem vis plaſtica & activa extinguatur. Equidem hæcce fluida non in hoc organo generantur, nec ſeparata a reliquis noſtri corporis fluidis ibidem exiſtunt, ſed ex hoc ad illud devehuntur. Cum igitur eadem, qualia ordinarie in toto ſunt, talia etiam ſint in parte, ideo ordinarie vitium horum in organo genitali funda-

mentum

mentum ſuum habet in ſimili conſtitutione præternaturali eorum in toto corpore. Poteſt tamen aliquando fieri, ut fluida in toto hærentia leviter tantum vitiata, ad hanc partem accedentia, ob labem quandam ejusdem eſſentialem, ibi demum ſatis notabilem ac vitioſam mutationem ſubeant, & adhuc magis deturpentur, ita, ut poſtmodum varia ratione actiones huic competentes lædant, uti ex ſequentibus luculentius patebit.

§. XIV.

Ex humoribus autem primo loco conſiderandus venit ſanguis, quippe qui triplici ratione in organo generationis peccans ſterilitatem efficere ſolet. Quantitate delinquens id præſtat, ſi eadem vel excedat, vel deficiat. In exceſſu peccans in culpa eſt, ſi fœmina ſit plethorica & ſanguis in toto nimium abundet. Determinata enim & proportionata ſolum requiritur ſanguinis ad uterum accedentis quantitas, ut non ſolum ante conceptum menſes, (qui ut cum *B. & Ill. WEDELIO Diſſ. de Steril. p. 18.* loquar, quaſi clavis ſunt judicandi de conceptione, & privatione hujus, ſeu ſterilitate,) debita ratione fluant, ſed & poſt hunc, graviditatis tempore, ſufficiens fœtui alimentum ſuppetat. Cum vero uterus ſit viſcus innumeris vaſis inſtructum, quæ tortuoſa gaudent directione & copioſiſſimis anaſtomoſibus inter ſe uniuntur, ſimul vero ſitus illius ſit ita comparatus, ut ſanguis ex pondere ad ipſum poſſit deferri, immo ipſe dictorum vaſorum tonus & elater ſit reſpective remiſſior ac in reliquis viſceribus; ideo, ſi ſanguis in toto abundet, non ſolum ex pondere, ſed & ob minorem vaſorum reſiſtentiam, copioſius ad hanc partem delabitur, & parietes vaſorum, non ſufficienter reſiſtentium diſtendendo, tonum eorum valde debilitat & imminuit, ob quam cauſam & ob tortuoſum ac ſerpentinum illorum ductum, multasque anaſtomoſes tardius una promovetur, & motus ejusdem, quod ordinarie in ſanguinis abundantia fit, inde læditur & retardatur, unde in parietes vaſorum major fit actio, hinc major horum diſtenſio & debilitatio elateris, ex qua fit, ut ſubſtantia uteri ſanguine valde intumeſcat, & non ſolum orificium ipſius internum, ſed & cavitas ejus, imo & inſertiones æque ac canales tubarum Fallopii inde anguſtentur, ita ut hac ratione ſeminis & debita admiſſio, &

& tranſitus ad deſtinatum locum atque actuatio præpediatur. Haud raro vero contingit, ut continuato vegeto affluxu, refluxu vero reſpective minori, tantam vim & impulſum ſanguis talis in vaſa exerceat, ut eorum extremitates & pori laterales, alias extra menſtruale tempus ſecretioni ſeri viſcidiuſculi, hoc vero præſente, menſium effluxui deſtinati, modo per violentiorem anaſtomoſin, modo vero per diæreſin, præter naturam aperiantur, & ob majorem impetum tono ſuo deſtituantur, adeo, ut ſanguini amplius in ſuis terminis detinendo impares plane exiſtant, unde non ſolum menſium fluxus nimius, ſed & hæmorhagiæ uteri enormiores, immo & ipſa poſt partum lochia nimia contingunt, quæ omnia, tum tonum totius hujus organi nimium debilitando & relaxando, adeoque ejus intemperiem humidam inferendo, tum ob ſanguinem in uteri cavum extravaſatum, ibidemque perſiſtentem & coagulatum, tum in concrementa, varii generis & naturæ, ſolida mutatum, materiam, uteri cavum & oviductuum orificia obſtruentem & replentem, ſubminiſtrando, impedimentum ſtruunt, quo minus ſeminis ſpiritui ad ovula pateat acceſſus, ipſique in hæc penetrandi detur copia. Quamdiu enim talis cruor, taliaque concrementa in dicto loco permanent, nulla conceptio, nullusque fœtus expectandus eſt teſtantibus id hiſtoriis practicis, præprimis *ab Illuſt. STAHLIO Diſſ. de Steril. Fœmin. p. 14 & ſeqq.* it. *Ill. HOFFMANN. Med. Conſult. Tom. IV. Dec. 2. caſ. 8.* allegatis & ipſa quotidiana experientia; immo ſi vel maxime ovulum fœcundetur & ad uterum deferatur, tamen illud ibidem tam ob inundantem ſanguinis copiam, quam ſubſtantiæ ſolidæ laxitatem hoſpitari nequit, quin potius antequam cum utero poſſit concreſcere, ex hoc hoſpitio ſuo iterum exturbetur. Non ſolum vero quantitas ſanguinis excedens, verum etiam ejusdem defectus haud raro impedimenta ſtruit ſeminis & ad debitum locum acceſſui & actuationi; cum enim illæ fœminæ ordinarie ad conceptionem habiles judicentur & exiſtant, quæ menſibus ordinate & rite fluentibus gaudent, & hocce fluxu præcedente virgines adaptentur ad conceptionem & humani generis propagationem; hic vero fluxus ſupponat proportionatam & ſanguinis abundantiam, & vaſorum hujus organi, fibrarumque ipſa conſtituentium flexilitatem & ad cedendum aptitudinem; ideo ſi

ſanguis

ſanguis in toto deficiat, non ſolum ipſius ſufficiens quantitas pro menſibus excitandis, hinc pro futuro fœtu nutriendo materia, non ſuppetit, ſine qua tamen nulla fœtum gerendi ſpes fœminis relinquitur; ſed & ipſa uteri blanda laxitas & flexilitas proportionata fibrarum, quæ in ſtatu naturali adeſſe debebat, in rigiditatem & abbreviationem præternaturalem mutatur, porique ac tubuli, immo omnes cavitates ac meatus ipſius anguſtiores evadunt, verbo, uterus intemperie ſicca afficitur, qua præſente neque ſemen debitum locum attingere, neque vim ſuam activam in ovula exercere illaque fœcundare; neque, ſi vel maxime ovulum fœcundetur & ad uterum deportetur, illud ibidem ob nutrimenti defectum in fœtum maturum increſcere poteſt. Deficit autem ſanguis vel ob idioſyncraſiam, in iis fœminis, quæ ex vitioſa diſpoſitione nativa nullos unquam menſes fuere perpeſſæ, & ab omnibus fere auctoribus ſteriles re vera tales ut plurimum ideo habentur; vel ob morbos prægreſſos graviores & diuturniores, qui ſanguinis nimiam reſolutionem ac difflationem, hinc defectum, intulere; vel denique ob exercitia virilia, venationes, ſaltationes, equitationes, & id genus alia, ſæpius inſtituta & continuata; utpote unde, diſſipato ſero blando & fortius reſolutis & difflatis humoribus, immutatur temperamentum, ut ſic menſes ceſſent; immo viſcidiores partes enaſcantur, obſtructionem poſtmodum reliquarum cavitatum efficientes. Cum vero vix regula tam firma ſit, quæ non patiatur aliquam ſui exceptionem; ideo & hic natura ſæpe facit ſaltum, & leges ordinarias aliquando transſcendit; ita, ut fœminæ, quid? quod ſæpe ex integris familiis perſonæ multæ obſervatæ ſint, quæ nunquam, neque ante conceptionem, evacuationem menſtrualem perpeſſæ, neque in partu & poſt eum lochiorum exitum expertæ ſint, cæteroquin inculpatam vixerint ſanitatem & multa prole beatæ fuerint. Exempla qui deſiderat adire poteſt *Magnifici noſtri TEICHMEYERI Anthropolog. cap. 30. p. 168. Celeb. NENTER. fundam. Medic. Tom. II. p. 832. Cel. CHR. VATERI Diſſert. de mola §. 8. p. 13. & D. D. SCHLICHTINGII Diſſert. de Catameniis habit. Groening. 1730. §. 15. p. 17.* ubi plures allegantur variorum auctorum de fœminis ejuſmodi fœcundis obſervationes. Rationem cur tale quid contingat laudatus

datus

datus *SCHLICHTINGIVS* quærit partim in temperamento ejusmodi fœminarum calidiori & vita laborioſa, indeque enata & nimia ſanguinis & ſeri reſolutione & diſſipatione, & ſolidarum partium firmiore compage, id quod aliquando experientia in fœminis ruſticis nunquam menſtruatis, & tamen fœcundis, confirmet; partim in obſervata ordinarie poſt conceptionem majore quiete corporis & a laboribus remiſſione, indeque imminuta transſpiratione; vel ſi hoc non fiat, in majori edacitate & largiori ciborum adſumtione, hinc copioſioris ſanguinis, quantum ad fœtum alendum ſuppetat, generatione; unde præprimis hoc auctorum aſſertum de iis fœminis valere contendit, quibus viarum culpa i. e. vaſculorum uterinorum ſecernentium nimia coarctatione, &c. ſubſiſtat menſtrua excretio. Hæc autem quomodocunque ſeſe habeant, dantur tamen fœminæ, quibus uteri purgamenta debito & tempore & quantitate & qualitate fluunt, & tamen infœcundæ permanent, quippe qui ſtatus, teſte *B. WEDELIO Pathol. Dogmat. p. 641.* occultas ſæpe cauſas alias, quæ a poſteriori demum emicant, & ſeminis receptionem & actuationem impedientes, pro fundamento habet, quarum reſpectu non omnes, quibus menſes fluunt, ſunt fœcundæ. Neque etiam qualitate peccans ſanguis in conceptione lædenda inſons eſſe ſolet, ſive in toto talis ſit, & ad uterum accedat, ſive in hoc ipſo demum talem vitioſum characterem, partim ob motus progreſſivi impedimentum, partim ob ejus depurationem in hoc viſcere vitiatam acquirat. Verſatur autem hæcce qualitas ipſius læſa partim in majori eminentia partium activiorum & bilioſarum acriorum, ſerique blandi defectu, partim vero in majore viſciditate, craſſitie, indeque pendente motus progreſſivi læſione. Bilioſior acrior & fervidior ſanguis ſi ſit, ſive ex conſtitutione tali totius, nempe vel cacochymia bilioſa, vel febre hectica & phthiſi conſummata &c. ortum trahat; ſive etiam in utero ipſo ob motum progreſſivum retardatum, hinc ſeri per vaſa lateralia ſeceſſionem, & inde enatam largiorem partium activiorum evolutionem talis ſit redditus; non ſolum blandam huic organo temperiem adimit, & in calidam intemperiem mutat, ſed ſimul quoque ob ſeri defectum ordinarie conjunctum fibrarum exſiccationem, rigiditatem & abbreviationem infert; ex

qua

qua duplici cauſa poſtmodum ſpiritus ſeminis genitalis tum nimis cito diſſipatur & deſtruitur, tum ob vias occluſas a loco ſibi deſtinato excluditur. Quidam etiam craſſiorem & viſcidiorem ſanguinem inter cauſas ſterilitatis numerant eatenus, quatenus in vaſis uteri tardius promotus, hujus ſubſtantiam tumidiorem reddendo, & cavitatem & omnes ipſius meatus anguſtiores præſtet, imo ipſa uteri vaſa, teſte *MOLINETTO Diſſ. Anat. Path. p. 329.* in varices diſtendat, varioſque producat cruciatus; ut taceam menſium ſuppreſſionem, fœcundam multorum morborum, etiam ſuo modo huic noſtro adfectui januas aperientium, matrem. Tandem motu peccans ſanguis in utero, ſeminis ad debitum locum acceſſum impediens & ipſius activitatem extinguens ſupereſt conſiderandus: cum vero ille jam ſatis ſuperque ſub quantitatis & qualitatis ipſius vitio, cujus vel comes, vel auctor, vel effectus exiſtit, ſit expoſitus, ideo inutile judicamus plura de eo hic diſſerere & prolata repetere. Iſte tamen caſus ſilentio prætereundus non eſt, qui aliquando obſervatus fuit, quod interdum circa menſtruam excretionem imminentem ob varios errores, præprimis autem terrorem ſubitaneum, vel alios adfectus animi vehementiores; immo ipſum frigus improvide tunc ad genitalia admiſſum, ſanguis in vaſis uteri hærens, turgeſcens & ſui exitum affectans in hoc ſumendo prohibeatur, hinc retro feratur & ſubſiſtat, ſubſtantiæ uteri canales & meatus repleat, & vel ibidem præternaturalem mutationem ſubeat, vel ſpiſſior & copioſior, quam loci fert capacitas, collectus, liberum humorum iter intercludendo, materiam & cauſam ſubminiſtret ſeceſſioni ſeri a ſanguine, & generationi corporis ſpongioſi & carneo-membranacei, a nonnullis molæ nutritionis dicti, ipſam uteri & partium annexarum ſubſtantiam occupantis & ad inſignem magnitudinem elevantis, quale exemplum proponit *Ill. FRID. HOFFMANN. med. conſult. Tom. III. Dec. III. caſ. 2.*

§. XV.

Quam maxime vero inter cauſas ſterilitatis eminet ſeri in hoc organo hærentis conſtitutio vitiata, quippe quod ſimili ratione ac ſanguis peccans illam frequentiſſime inducere ſolet. Perſpexit hoc ſuo jam tempore *DIVVS SENEX*, dum *Lib. de Ste-*

 ril.

ril. it. ſuperius allegato *V. aph. 62.* fœminas præhumido & nimis frigido utero præditas ſteriles judicavit. Omnium enim auctorum medicorum ſuffragio & ipſa teſtante quotidiana experientia, vix magis obvia & conceptioni magis infeſta offenditur cauſa (ſi vitia enumerata conformationis graviora & partim inſanabilia exceperis) quam ita vocata intemperies uteri & partium ad eum pertinentium frigida & humida, ſive quod idem dictum, ſtatus ipſius humidior, ſeroſior & pituitoſus, & inde enata, vel conjuncta & aucta fibrarum tum muſcularium tum nervearum laxitas, flacciditas & inſenſilitas; verbo atonia; ſupra §. 10. prolixe expoſita. Ejusmodi autem ſtatus ordinarie pro fundamento habet ipſum ſerum, ſimili modo in toto vitiatum, nempe tum quantitate, eaque rarius ſola, tum, quod frequentius contingit, quantitate & qualitate ſimul peccans, abundans quippe iners, non ſatis ſpirituoſum, modo tenuius, modo craſſius, pituitoſum, coagulabile, ♀eis & ⊖inis partibus diverſi generis largioribus impraegnatum, quale occurrit in fœminis cacochymia ſeroſa vel pituitoſa graviori, cachexia vel ſimplici vel ſcorbutica, affectibusque cognatis, ſcorbuto frigido &c. iisque majori gradu talibus laborantibus, cujus rei teſtimonium adfert *B. & Ill. WEDELIVS*, qui *Pathol. Dogmat. p. 639.* exemplum refert de fœmina cachectica & ſcorbutica, per VII. annos ſterili, hoc vero morbo per antiſcorbutica Eſſ. ⊕li ♂tis & alia ſublato, fœcunda reddita & conceptionem paſſa. Tale enim ſerum vitiatum dum ex reliquo corpore circulationis lege majori copia ad generationis officinam deportatur, partim ob majorem quantitatem, partim vero & maxime ob qualitatem dictam vitiatam conjunctam, partim denique ob ipſarum viarum in quibus moveri & contineri debet ex variis cauſis obortam debilitatem & relaxationem, hinc imminutam reſiſtentiam & vim ſufficientem hocce contentum ſuum propellendi & retinendi, in ſubſtantiæ tum uteri, tum partium annexarum vaſis, glandulis, poroſitatibus ac tubulis ſubſiſtit & accumulatur, hinc non ſolum tonum partium ſolidarum valdopere debilitat, & fibras nerveas exquiſita ſua ſenſilitate deſtituit; idque eo magis, quo magis tali ſub ſtatu, ob parciorem & evolutionem & ſecretionem partium ſpirituoſarum in toto, ſpiritus deficiunt, ut ideo fœminæ tales

cpitum

coitum aut plane non appetant, aut ſi talem cum viris celebrent, nullam ex eo, vel parvam tantum, voluptatem percipiant, hinc non præciſe eo tempore, quo vir generoſum ſuum liquorem emittit, in œſtrum venereum rapiantur (§. 10.); ſed & ob motum progreſſivum impeditum, & majorem copiam, vaſa & cavitates, in quibus moveri debebat, nimium diſtendit, & ſic aut in iisdem perſiſtens variis tumoribus oriundis occaſionem & materiam ſuppeditat, aut vaſorum extremitates, ſeri mucoſi, has cavitates lubricantis, & ſtatis periodis menſtrui ſanguinis ſecretioni deſtinatas p. n. dilatat, aperit, & disrumpit, & ſic charactere ſuo alias non ita vitiato, per moram & labem uteri eſſentialem, haud raro concurrentem, in deteriorem mutato, in cavitates hujus organi majores ſeceſſum acquirit, & colligitur; hinc ipſius uteri cavum, & tubarum Fallopii canales replet; immo intra ipſorum ovariorum tunicas, vel quoque in horum ſuperficie p. n. coacervatur, & ipſis copioſius adhæret. Non ſolum igitur hac ratione ob copiam obtundit & extinguit contagium ſeminale, ſed etiam ob viſciditatem aut aliam præternaturalem qualitatem vias, per quas migrare ſemen debet, obſtruit; quid? quod ad ipſum deſideratum portum, ovaria videlicet, appulſam ejus auram, ob eorum pororum, a tenacis pituitæ ipſa circumdantis copia, factam obſtructionem, aut in illorum ſubſtantia humoris ejusmodi inertis nimiam collectionem, aut inefficacem reddit & ſuffocat, aut penetrationem hujus in ovula impedit, & ita generationis actionem valdopere lædit & plane ſufflaminat. Maxime autem huic humoris ſeroſi inertis, variæ indolis, variæque conſiſtentiæ in dictis locis accumulationi velificatur ipſorum vaſorum & pororum revehentium & reſorbentium, ad ſuperfluam ejus partem recipiendam & reducendam inhabilitas, quippe quæ haud leve impedimentum ſeminis tum admiſſioni, tum actuationi ſtruere ſolet. Non vero una eademque ratione ejusmodi ſtatus generis humani propagationi obeſt; ſed diverſa generationis officinæ mala, modo manifeſtiora & ſenſus incurrentia, modo obſcuriora & ſollicitam medici attentionem ſubterfugientia inducendo, id præſtat. Ex horum autem claſſe haud infimum fluor albus obtinet locum. Equidem non promiſcue fœ-

 minas

minas eo laborantes pro abſolute ſterilibus habendas eſſe repetita practicorum teſtatur obſervatio, quippe qua docemur multas dari mulierculas eodem adfectas, nihilo tamen ſecius multa prole beatas: immo ipſas obſervari gravidas, quas ipſo, quo uterum gerunt, tempore hic fluxus divexat. Cum vero hoc de mitiori tantum intelligendum ſit; ideo rebellior, gravior, & malignus ſi exiſtat, & maxime ſubſtantiam uteri ipſam pro ſubjecto, majorem vero & enomiorem ſeri deturpationem, viſciditatem quippe acrimoniam & ichoreſcentiam pro cauſa agnoſcat, omnino ſterilitatem inde oboriri a multis celeberrimis medicis adducta comprobant exempla, & ipſa dictitat ratio. Quoniam enim hic fluxus non ſolum totum generationis organon ſummopere debilitat, & vim ejus tonicam plane fere deſtruit; ſed & ob majorem, quam humor effluens non raro contrahit acrimoniam & virulentiam ſæpe ipſam uteri internam ſuperficiem arrodit & erodit; ideo aliter inde fieri non poteſt, quin ſeminis aura, vel ob humoris inertis abundantiam in utero ſtatim ſuffocetur & extinguatur, vel impediatur, quo minus ſe rite explicare & ad ovaria pervenire queat; aut ſi vel maxime ad hæc penetraverit & ovulum fœcundaverit, hoc tamen ad uterum deportatum eidem adhæreſcere & radices agere neutiquam valeat, quin potius ſtatim ex illo elabatur, & peſſum eat. Egregia, notatu æque digna ac lectu jucunda exempla de conjugatis fœminis fluore albo laborantibus & ſterilibus videri poſſunt apud *PLATERVM obſ. L. I. p. 249. FORESTVM L. 28. obſ. 57. STABELIVM Diſſ. de ſingulari fluor. alb. & ſterilit. cura p. 18, 19 & 20.* Quem autem de hoc expoſito adfectu generationis opus in fœminis lædentem adduximus effectum, illum etiam recte adſcribere poſſe putamus ipſi hydropi uteri, ſive iſte a ſeroſi inertis humoris largiori in cavitatem uteri facta extravaſatione & collectione provenerit; ſive aquæ peculiari receptaculo membranoſo ſint incluſæ; ſive denique in pluribus veſiculis, diverſæ magnitudinis contineantur & totum uterum repleant. Exempla hujus ſtatus, qui deſiderat, adire poteſt *TVLPIVM L. 3. obſ. c. 32. VALLERIOLAM obſ. med. L. I. obſ. 10. DONATVM loc. cit. l. 4. p. 423. & FERNELIVM, Pathol. L. 6. c. 15.* qui ultimus auctor memorabile recenſet exemplum de mu-

liere ſterili, hydrope uteri laborante, quæ ſingulis inſtantibus menſtruæ purgationis periodis inſignem & omnem aquarum colluviem per cervicem uteri profudit, ventre tum toto ſubſidente & menſibus ex naturæ præſcripto ſubſequis. Collecta proximo menſe par colluvies, ſtato dein tempore profluxit. Tandem perſanata uterum geſtavit, peperitque bene vitalem fœtum. Haud minori jure huc referri meretur hydrops tam tubarum, quem in utraque harum obſervavit ſatis magnum, eumque deſcripſit & figura ænea illuſtravit jam allegatus *TVLPIVS L. 4. c. 44.* quam ovariorum, quo de non ſolum *B. BRENDELIVS*, & *Excell. ABR. VATERVS*, ſed & *D. D. PEYERVS*, illi Wittebergæ, hic Baſileæ, peculiares edidere diſſertationes, in quibus multa, partim ab ipſis hisce auctoribus, partim vero ab aliis ſcriptoribus, de hoc malo obſervata exempla notatu ſatis digna reperiuntur memoriæ prodita. Quemadmodum igitur hæc vitia omnia ſeminis virilis actuationem impediunt; ita idem conſequitur effectus, ſi humores craſſiores, pituitoſi, uti ſuperius monuimus, tum in utero uberius, licet minori copia, quam in jam expoſito caſu, coacerventur; qualem ſtatum Germani, nomine einer verſchleimten Mutter, inſignire ſolent; tum etiam tubarum canales occupent, tum ipſorum ovariorum ſuperficiei largius adhæreſcant, eaque circumdent & involvant.

§. XVI.

Tandem de ſpirituum vitioſa conſtitutione in hoc organo hærentium & ex toto ad illud accedentium, ad ſterilitatem producendam multum faciente, pauca quædam monenda reſtant. Habet nimirum illud ſua vaſa nervoſa, uti reliqua viſcera, eaque ſatis copioſa & in infinitas ramificationes diſperſa, a nervis oſſis ſacri & intercoſtalibus provenientia. Per hæc enim ſpiritus verſus hoc viſcus, cui ſpem omnem perennitatis natura committit, larga ſatis copia deferri & affluere debent, ut & fibræ ejus motrices decentem elaterem ac tonum, humores vero in ejus vaſis circulantes debitum vigorem & ad motum velocitatem obtineant; immo & in ipſo coitu, vegeto ſuo adfluxu fibras nerveas convenienter repleant: quo non ſolum inde exquiſitus voluptatis ſenſus oboriatur & congreſſio fiat grata, hinc a fœminis

 ſæpius

ſæpius & avidius deſideretur; verum etiam omnes hujus organi partes antea quietæ in motum quaſi rapiantur, tubæ erigantur, adeoque ſemini ſpirituoſo virili via, decenti ratione, pandatur ad ovaria adſcendendi, & in ovula penetrandi; his vero fœcundatis per eosdem canales ad uterum deſcendendi. Quodſi igitur ſpiritus deficiant & ſufficiens eorum quantitas ad hæcce loca non accedat; ſive hoc ex prava diſpoſitione humorum vitalium in toto, adeoque parciori eorum evolutione & ſecretione eveniat, ſive ob nervos ad generationis officinam tendentes obſtructos & paralyſi vel perfecta vel imperfecta adfectos, illorum liber affluxus intercipiatur; ſive denique ob animi affectus vehementiores, maxime deprimentes, curas videlicet, mœrorem, & odium inter conjuges teſte *RIVERIO oper. med. L. 15. c. 15. HEVRN. Lib. de morb. mulier. cap. de infœcund.* & aliis, aut morbos quoque prægreſſos vel præſentes graviores, præprimis chronicos, corpus fœmineum emaciantes, ipſamque factam ſanguinis depauperationem, vel peregrinum, vel non ſatis vividum motum, & ad hanc partem acceſſum obtineant; non poteſt non fieri, quin aut congreſſus a fœminis in tali ſtatu conſtitutis plane non appetatur, aut, ſi ipſis vel annuentibus, vel invitis, a maritis ille inſtituatur, ob deficiens debitum ex eo delectamentum, hinc nullum ſubſequum oeſtrum venereum, ſemini ad ovaria perveniendi, ob tubas non erectas, via præcludatur, adeoque hac ratione ovuli fœcundatio impediatur. Vt jam taceam ipſam ex hoc fundamento provenientem reliquorum humorum, in hoc organo fluctuantium, inertiam & impeditam debitam provolutionem, ipſarumque fibrarum motricium laxitatem & atoniam, haud infimum, uti ſuperius §. 10. prolixe docuimus, inter ſterilitatis cauſas locum ſibi vindicantem.

§. XVII.

Inter ea vero, quæ ſeminis virilis acceſſum ad deſtinatum locum impediunt, & activitatem ejus extinguunt, referri quoque merentur quædam extraordinaria, partim ex humoribus vitalibus enata, partim toto genere præternaturalia, & modo ab extra, modo ex aliis corporis partibus ad generationis officinam delata, illiusque cavitates internas, præprimis vero uteri, occupantia, replentia & obſtruentia. Sub horum autem claſſe militant molæ

varii

varii generis, tum veræ, tum ſpuriæ & valde improprie ita partim dictæ, hæque vel ſanguineæ, de quibus ſuperius §. 14. locuti ſumus, vel aquoſæ, quas ſub hydrope uteri, §. 15. expoſito, nonnulli auctores complectuntur; vel flatulentæ, quarum notabilia exempla, partim propria obſervatione adnotata, partim ex aliis auctoribus fide dignis v. g. *DODONAEO obſ. med. cap. 49. DONATO*, & *HARVEIO* deſumta recenſet *B. FASCHIVS, celebris quondam in hac Salana medicinæ Profeſſor Diſſert. de ſterilit. p. 16. 17.* Per quas vero molas flatulentas, quibusdam auctoribus, & cumprimis veteribus, appellatas, intelligendi unice veniunt flatus in uteri cavitate enati & inſigni copia ibidem collecti, ita quidem, ut ab iisdem diſtentum abdomen & in eodem obſervatus aliquis, quaſi contenti fœtus, motus veræ ingravidationis lactaverit ſpe, ſed tandem incarceratorum flatuum eruptio ſterilitatis prodiderit cauſam. De veris equidem molis *B. WEDELIVS Diſſert. de ægra mola laborante pag. 5.* differit, quod prævia mola, eaque per annos etiam præſente, conceptio tamen fieri queat, quale ſuo tempore Vinariæ contigiſſe præclare meminit, ubi fœtu edito, & matre tamen demortua, vera mola plurium librarum pondere inventa eſt. Sed hocce, olim pro impoſſibili habitum, rariſſime evenire perbene ſimul ibidem monet. Pertinet etiam huc concrementum iſtud caſeo recenter coagulato ſimile totumque uterum replens, in fœmina poſt mortem diſſecta repertum & a *MANAGETTA Ephem. N. C. Dec. I. an. 1. obſ. 32.* deſcriptum; nec non rejectum illud membranaceum corpus ex utero Comitiſſæ, per XII. annos ſterilis, itemque fiſtuloſum ex utero alius Comitiſſæ itidem infœcundæ excretum, & denique ſubſtantia membranoſa, ſtellæ quaſi figuram exhibens, ab alia fœmina per eundem locum expulſa, a *PLATERO obſerv. L. III. p. m. 836.* obſervata, poſt quorum corporum heterogenorum excretionem, a jam laudato medico adjutam, exoptata conſecuta eſt fœcunditas. Nec minus calculi aliquando in utero inventi, & ex eo ejecti, ipſiusque cavum replentes hic veniunt notandi, de quibus *SCHENCKIVS L. 4. obſ. p. m. 649.* varias enumerat hiſtorias; id quod & dictum ſit de ipſis vermibus in utero aliquando nidulantibus, quorum non ſolum apud laudatum *SCHENCKIVM l. c.*

&

& *BARTHOLINVM Cent. 4. hiſt. anat. 64.* extant exempla, verum etiam memoratu dignum in ſuperius allegata *FASCHII Diſſert.* ab ipſo hoc, inter cœlites triumphante, auctore obſervatum traditur *p. 17.* de fœmina per XVIII. menſes gravida falſo credita, ex cujus utero adhibitis digerentibus & evacuantibus ampla vermium progenies evacuata fuit, una cum folliculis ovi gallinacei magnitudinem æquantibus, qui aeri expoſiti rupti ſunt, & verminoſam, qualem in caſeis, oſtenderunt ſobolem plane innumeram. Ita ſpe ſua optima illa matrona excidit, prolem vehementiſſime deſiderans. Ut materiam purulentam aut aliam peregrinam quandoque in utero collectam & retentam, eandem fabulam ludentem jam non adducam, qualem in utero ſcirrhoſo reddito obſervatam nigricantem; purulentam vero teterrimi odoris ipſum ſcirrhoſum quoque uterum replentem exhibent *Ephem. Germ. Dec. I. An. I. obſ. 128. & an. 9. & 10. obſ. 126.* Sed ſatis me puto dixiſſe de cauſis noſtri adfectus mediatis proximioribus, cum illarum plurimas jam vel extremis, quod dicitur, labris, delibatas eſſe exiſtimem. Si vero quædam a me intactæ relictæ fuerint, ſciat B. L. me adeo arrogantem non eſſe, qui latiſſimos naturæ errores harum pagellarum anguſtiis incluſiſſe videri audeam.

§. XVIII.

Ex *cauſarum mediatarum remotiorum* nunc luſtrandarum claſſe primum conſiderandæ veniunt *naturales*; quippe quæ ad enumerata vitia, admiſſionem & actuationem genituræ virilis impedientia, diſpoſitionem aliquam innuunt. Ex harum autem ſerie primum notandum venit *temperamentum.* Licet vero, præſentibus præprimis vitiis conformationis gravioribus, in organi hujus partibus, congreſſui maxime inſervientibus, hinc & reliquis, occurrentibus, nullum temperamentum inſons ab hoc noſtro adfectu judicari queat, tamen abſentibus hiſce vitiis omnium maxime ad infœcunditatem diſpoſitum eſt *frigidum & humidum ſeu phlegmaticum*, tanquam pronum fundamentum intemperiei ſimilis tum totius, tum præprimis uteri. Interim tamen ſuo modo *calidum & ſiccum ſeu bilioſum*, quoniam facile intemperiei ſiccæ, menſiumque defectui, viraginibus ſolemni, anſam præbet, ſuum ſymbolum ad ſterilitatem inducendam confert. *Quæcun-*

que

que enim ſecundum verba *B. WEDELII*, *Diſſert. de ſterilit. p. 18.* *ſeu temperamento nativo*, *ſeu idioſyncraſia imprimis ſunt ſicciores*, *illæ minus fœcundæ ſunt*; *ſeu ipſo etiam adſcititio.* Nec ipſum *temperamentum melancholicum* plane extra omnem culpam manet, quatenus ob partes maſſæ ſanguineæ ſeroſo-acidulas ac terreſtres, præ activioribus, balſamicis & fluxilibus exuperantes, licet adhuc intra ſanitatis limites conſtituto corpore, ad varios tumores, præprimis vero ſcirrhoſos & cancroſos, uteri & ejus cavitatum obſtructionem facile præſtantes, fundamentum aliquod conſtituere poteſt. *Sanguineum* denique, licet alias aptiſſimum ad conceptionem, quoniam tamen plethoræ & ex ea pendentium effectuum vitioſorum, §. 14. enumeratorum fons & origo nonnunquam exiſtit, aliquam etiam inter haſce cauſas ſibi vindicat locum. Poteſt vero fieri, ut temperamentum fœminæ in ſe conſideratum bonæ notæ & inſons ſit, reſpectu vero ad maritum minus ad conceptionem habile exiſtat; id quod vel ex eo inclareſcit, quod obſerventur interdum duo conjuges, diu & per multos annos cohabitantes, invicem tamen, etiamſi nullum in mare & fœmina ſit vitium, generare haud valentes. Quodſi vero vir cum alia fœmina congreſſum exerceat hanc imprægnari; & ſi mulier cum alio viro rem habeat, idem experiri eandem experientia edoceat. Hujus autem phænomeni rationem in nullo alio fundamento, quam in aliquali uteri intemperie, eaque magis reſpectiva, quam abſoluta, quærendam eſſe haud immerito judicamus; quippe ob quam ſemen prioris maris, vel non ſatis ſpirituoſum, vel nimis activum & calidum extitit reſpectu temperiei uteri ſuæ conjugis vel frigidioris & humidioris, vel calidioris, ut hinc ob hanc aut extinctum ſit, aut diſſipatum, antequam activitatem ſuam exercere potuit, cui tamen aptum & ſufficiens fuit reſpectu alterius fœminæ, minus tali temperie gaudentis; haud ſecus ac ſemen poſterioris viri fœminam, in primo conjugio ſterilem, fœcundam reddere valet. Nec alia eſt ratio conjugum per plures annos ſine prole copulatorum, tandem mutatione ætatis generantium. Cum enim cum ætate mutetur temperamentum corporis, & ipſe communis quem hauriunt aer, eadem victus ratio, utriusque corporis continua effluvia, concubitus quotidianus, & alia multum faciant ad alteranda corpora; ideo poteſt

inde fieri, ut utriusque conjugis diſpar antea conſtitutio ad hanc actionem inhabilis, tandem concilietur, adeoque conceptio exoptata ſubſequatur. Reſpectu *ætatis* experientiæ teſtimonio conſtat, quod fœminæ quadragenariis fere proximæ ac tunc demum viris junctæ ſæpe ſterile experiantur conjugium. Ratio vero hujus phænomeni ex iis, quæ de ſtatu organi genitalis, ad ſterilitatem diſpoſiti, diſſerui, facile erui poteſt. *Habitum corporis* obeſiorem præ reliquo ad ſterilitatem eſſe diſpoſitum docet §. 9. cui adnumerari poteſt ſpongioſior, mollis & ſucculentus, intemperiei uteri humidæ, congeſtionibus humorum, tum ſanguinei tum ſeroſi & pituitoſi in eo fiendis aptus. *Diſpoſitio* denique *hereditaria* etiam aliquando aliquid momenti ad infœcundum conjugium confert; dantur enim ſecundum *B. WEDELIVM Diſſ. cit. p. 23.* certæ familiæ, quæ, quamvis non in omnibus individuis, ut menſium fluxum nunquam experiuntur, ita ſunt re vera & manent ſteriles; id quod tamen per ſuperius §. 14. dicta, ſuos patitur aliquando limites.

§. XIX.

Ex rebus *non naturalibus*, diſpoſitionem in corpore ad ſterilitatem præſentem facile augent, vel plane etiam eam inferunt primo *aer* vel frigidior, humidior, craſſus & denſus, effluviisque impurioribus refertus, vel calidior, puta, ſi alterutro diu uſæ fuerint fœminæ. Prior non ſolum ob tranſpirationem, quam impedire ſolet, humidum iners in toto corpore retinendo, iſtud auget; verum etiam, ob vim coagulandi, pituitoſarum ac viſcidarum in maſſa ſanguinea partium proventum & accumulationem præſtat, adeoque intemperi totius, hinc & uteri januas aperit. Præprimis vero frigidus aer, diu & improvide ad partes genitales & infimum ventrem admiſſus, tum humorum diverſorum in iisdem ſtagnationibus anſam præbet, tum ipſum partium ſolidarum elaterem nonnihil debilitat. Calidior aer humorum rarefactionem & humidi blandi diſſipationem efficit, hinc & uteri hæmorrhagiis & intemperiei uteri ſiccæ & calidæ inducendæ aptus exiſtit. Ita alia corpus ambientia, improvide admiſſa, vel ſiniſtre uſurpata huc trahi merentur, ut balnea nimis frequenter adhibita, ex quibus idem effectus ac de aere frigido & humido diximus, in fœmineum generationis organon redundat, fibrarum nempe tonus inde valdopere læditur, &

humo-

humorum inertium affluxus & reſtagnatio ibidem faciliatur. Ratione *Alimentorum* eadem tum quantitate, tum qualitate peccantia, ad hunc adfectum producendum etiam ſuo modo faciunt. Quantitate nimia adſumta non ſolum ſanguini nimio generando dant occaſionem, ſed & relinquunt in primis viis cruditates pituitoſas, quæ ad MSeam delatæ ſimilem ipſi inferunt conditionem, ex qua varia enumeratorum vitiorum oboriuntur. Defectus alimentorum cauſa eſt non ſufficienter reſtituti ſanguinis, unde non ſuppetit ejus quantitas pro menſtrua purgatione, hinc nec pro futuri fœtus alimento. Longe vero magis ad inducendas plurimas fere ſterilitatis cauſas apta ſunt alimenta qualitate peccantia, nimis ac continuo uſurpata, calida quippe, aromatica, aquea, viſcida, lenta, partes coagulabiles continentia, acida, auſtera, fumo indurata & aere exſiccata, & id genus alia, quippe quæ vel humidum blandum nimis diſſipant & abſumunt, ipſumque ſanguinem rarefaciunt, adeoque ſiccitatem nimiam inferunt, vel ſerum iners augent, vel viſcidæ pituitæ largiorem proventum efficiunt, & ideo vel hac, vel alia ratione conceptioni infeſta ſunt. Idem effectus poteſt adſcribi poculentis, tum nimia tum deficiente quantitate in uſum tractis, maxime una qualitate peccantibus, aquis videlicet nivoſis, paludoſis, ac putrilaginoſis. Quantitate nimia ingurgitata ſi aquea ſint, cacochymiam ſeroſam, hinc intemperiem uteri humidam facile inferunt; ſi ſpirituoſa, ut vinum, ſpiritus vini, non ſolum MSeam exagitant & rarefaciunt, ſed & ob partes acidas, tartareas, coagulabiles & groſſiores, diſflatis ſubtilioribus, relictas, materiam, tum obſtructionem viſcerum, tum cavitatum organi generationis præſtantem, facile ſuggerunt. Ne dicam, quod ipſe ſpirituum liber ac vegetus motus admodum inde debilitetur, unde eſt, quod ebrietas continua & quaſi in conſuetudinem degenerata a plerisque auctoribus medicis v. g. *B. WEDELIO*, *SYLVIO*, *RIVERIO* & aliis inter haud infima fœcunditatis collocetur impedimenta; uti hoc exemplo ex *RIEDLINO de fœmina ex crebriori ebrietate ſterili* illuſtrat & confirmat *Cl. NABOTH Diſſ. de Steril.* §. 19. Nota etiam probe eſt *D. D. PRAESIDI* fœmina quædam, ſatis quidem cætera ſana, aſt aſſiduo fere ebria, quæ, licet per plures annos cum viro maxime vegeto copulata ſit, nunquam tamen concepit: ut ideo valde

probabile ſit, etiam in hac ebrietatem aſſiduam ſterilitatis cauſam fovere. Deficiens potus humoribus acrioribus & viſcidioribus, hinc intemperiei uteri ſicciori favet. Quid de uſu potus coffee, cui quidam medicorum vim fœcunditatem in utroque ſexu extinguendi adſcribunt, ſentiendum ſit, ipſa contrarium probans docet experientia. Idem dictum ſit de aliis quibusdam, quibus vim deleteriam ineſſe ab haud paucis præprimis antiquorum medicorum creditum fuit. Ipſis vero enumerandis nolumus inutiliter tempus conſumere; cum, qui catalogum eorum deſiderat, adire poſſit *RIVERIVM*, & omnes fere alios veteres ſcriptores medicos, præprimis vero *Excell. STENZELIVM in Diſſert. de venen. ſterilit. inducentib.* A nobis minimum cum gravibus auctoribus de efficacia eorum ſterilitatem inducendi valde dubitatur, cum non ſufficiens ſuppetat ratio, quomodo id præſtare valeant. Longe autem meliori jure huc trahi merentur emmenagoga fortiora, purgantia vehementiora, emetica, V. S. immoderata & ſine ratione ſæpius adminiſtrata, & id genus ſimilia alia, partim MSeam exagitantia, hinc uteri hæmorrhagias, menſiumque aut lochiorum nimium fluxum excitantia; partim humores utiles & bonæ notæ corpori detrahentia & hac ratione huic noſtro adfectui fores aperientia. *Motus corporis nimius* ſanguinem exagitat, reſolvit, ſerum blandum per poros diſſipat, hinc illum inſpiſſat & acriorem reddit; adeo, ut hinc menſes, absque tamen eo, ut inde notabiliter male habeat corpus, non fluere poſſint, verbo intemperies ſicca uteri conſurgat, unde eſt, quod exercitia virilia a fœminis frequentius inſtituta ipſas ad ſobolem ſuſcipiendam inhabiles efficiant per dicta §. 10. & 14. *Quies* nimia, vita otioſa ac ſedentaria humidum iners, & viſcidas, tartareas, coagulabiles partes in corpore retinet & accumulat, immo ipſi ſanguinis nimiæ quantitati generandæ apta exiſtit, hinc tum intemperiei uteri frigidæ & humidæ, tum obſtructionibus ejusdem cavitatum, tum ſanguinis per illum præternaturali profluxui viam pandit & materiam ſubminiſtrat. *Somnus* nimius ſpiritus torpidiores reddit, hinc humorum vividum motum retardat, unde convenientes ſecretiones impediuntur, & partes ſeroſæ, pituitoſæ, acres & tartareæ in ſanguine augmentantur. Nimiæ contra *vigiliæ* ſpirituoſas balſamicas M. S. partes nimis abſumunt, ob quarum defectum & viſcidiores

partes in corpore remanent & una cum aliis peregrinis ob viſcera, officio ſuo ex hac ratione non fungentia, in toto accumulantur, ipſeque fibrarum motricium tonus inde læſionem & debilitatem acquirit. *Animi pathemata concentrantia*, curæ, mœror, triſtitia, odium erga conjugem, terror ſubitaneus, imaginatio fortior, Zelotypia & alia hujus commatis, ſpiritus animales deprimunt, hinc humorum propulſionem tardiorem reddunt, ſecretiones in viſceribus & excretiones turbant, & obſtructionibus oriundis occaſionem præbent, humorumque circa generationis organon ſtagnationibus viam ſternunt. Ne dicam, quod hæc pathemata ſpirituum vegetum ac liberum affluxum congreſſus tempore ad genitalia impediant, (§. 16.) adeoque ſic non uno nomine fœcunditati obſint. Recte hinc judicavit *MERCVRIALIS*, quando fœminam in coitu plorantem minime concepturam eſſe ominatus eſt; & *AETIVS* haud abs re invitos amores ſteriles, deſideratos vero dulces pronunciat. *Exagitantes* vero animi adfectus, ut ira vehementior, & incandeſcentia, quoniam ſpiritus valdopere exagitant & turbant, hinc humorum motum vehementiorem & irregularem excitant, ſerum diſſipant, & partes activiores nimis evolvunt, ideo ſicciorem ſtatum utero inferre poſſunt ac ſolent, immo haud raro ipſas ſanguinis ex eo profuſiones excitant aut promovent. Nec minus ipſa Venus a fœminis admodum crebro exercita hic paucis tangenda venit, quippe quæ aliquando non ſolum ob easdem fere rationes conceptionem turbare ſolet, ſed etiam ſimul partibus genitalibus inſignem inferendo laxitatem facit, ut, ſi etiam ovulum fœcundatum in uterum fuerit delatum, idem tamen mox & citius ex eo elabatur, quam ejusdem parietibus adhærere & in ſemet deliteſcens germen in corpuſculum hominis conſpicuum explicari queat. Et hæc eſt cauſa cur meretriculæ, quæ Meſſalinæ in morem Venere quidem delaſſantur, ſed non ſatiantur & cuivis obvio corpora ſua venalia exponunt, plerumque ſint & maneant ſteriles. Porro *excretiones* ſolemnes impeditæ, aut non rite procedentes, multum partibus pituitoſis inertibus & coagulabilibus, ſeroſisque & ⊖inis tartareis in ſanguine p. n. accumulandis inſerviunt, adeoque variis enumeratis vitiis, ſterilitatem inducentibus occaſionem præbent, quales ſunt in

 primis

primis transſpiratio impedita, nec per vias urinarias partium inutilium exitus decenter fiens, hæmorrhagiæ conſuetæ ſuppreſſæ, &c. *Nimiæ* etiam humorum utilium *excretiones*, quoniam ſpirituoſas partes corpori detrahunt, hinc dictarum vitioſarum incrementum promovent, tonumque fibrarum motricium tum totius tum uteri laxiorem reddunt, ad ſterilitatem corpora fœminarum ſuo modo diſponunt; id quod maxime valet de nimiis ſanguinis profuſionibus, tum ex variis corporis partibus, tum præprimis ex utero factis. Non minus ſeri nimia depletio, per ſudoriferorum, purgantium, ſimiliumve incongruum uſum concitata ſicciorem ſtatum corpori inferre poteſt ac ſolet.

§. XX.

Ad *præternaturales* cauſas præter ſuperius jam adductam plethoram, cachexiam, ſcorbutum frigidum, fluorem album &c. pertinent quoque cacochymiæ omnes, abortus frequentior, ſecundinarum particulæ retentio, molarum frequentior & repetita excluſio, hydrops aſcites, affectus hypochondriacus & hyſtericus, paralyſis, hemiplexia, phthiſis, febres hecticæ, lues venerea confirmata, elephantiaſis, calculus veſicæ major, fluxus alvi nimius & diuturnus, uteri & ejus partium vulneratio, contuſio in ejus regionem & alliſio ex caſu ab alto, & id genus alia, quæ omnia partim craſin humorum & ſpirituum in toto lædunt, hinc debitam utero temperiem adimunt, partim tonum ejus relaxant ac debilitant, partim alia ratione totum organon generationis inhabile reddunt ad ſemen virile tum admittendum, tum actuandum.

§. XXI.

Ex *ſupra naturalibus* maxime attendendum venit τὸ θεῖον. Eſt enim generatio opus divinum & unice ſapientiſſimi Numinis voluntati acceptum ferendum, quod ſibi ſoli reſervavit uterum matris reſerandi & occludendi poteſtatem. Unde mirandum non eſt, ſi aliquando conjugium inter ſaniſſimas cætera perſonas contractum & in tali ſtatu ſatis longe continuatum nihilominus obſervetur ſterile. Huc & pertinent incantationes & ligationes a male feriatis hominibus, permittente Divino Numine, ſuſceptæ, quarum ope fœminæ faſcinantur & ſteriles redduntur, & ideo ligatæ vocantur. Sed de hiſce & aliis ſuperſtitioſis, chriſtiano nomine plane

plane indignis, aliquando tamen admiſſis, circumſpectum medicus rationalis ferat judicium, ne occultis tribuat cauſis, quod tamen per rationem adhuc erui poteſt.

§. XXII.

Differentiæ noſtri adfectus licet per ſe innoteſcant ex ſuperius dictis, attamen paucis adhuc eas delibare placet. Ratione igitur *ſubjecti* alia ſterilitas eſt *eſſentialis*, quæ ex vitio organi generationis eſſentiali dependet; alia vero *ſymptomatica* & quaſi *per conſenſum* talis, quæ ex vitioſa diſpoſitione totius ortum deſumit, aut alios affectus graviores conſequitur. Ratione *cauſarum* differentia ex ſuperius tradita cauſarum ſerie facile inclareſcit. Ratione *originis* alia eſt *congenita* a primo ſtatim ortu ſuſpicanda; alia vero *acquiſita* & per diætam incongruam &c. contracta. Ratione *cognitionis* alia eſt *manifeſta* magis & ſenſibus obvia, alia *occulta*; alia *actu primo* talis, alia vero *exercito*. (per §. 3.) Ratione *durationis* alia eſt perpetua, chronica & confirmata, alia vero recens, temporaria & periodica, ſi quidem conceptio ſequatur, ea tamen rarius & longiori temporis interpoſito intervallo. Ratione *curationis* alia eſt *ſanabilis*, quæ cauſam per remedia ſubjugabilem pro fundamento habet, alia vero *inſanabilis* quæ nempe a conformatione enormius vitiata, aut aliis cauſis medici opem reſpuentibus producta eſt.

§. XXIII.

Sterilitas cognoſcitur difficillime a priori, niſi vitium notabile conformationis in partibus genitalibus & circa eas, qua ſenſus patent, occurrat, & fallacia, dubia, immo ridicula ſunt & cum ſana ratione minus conſentanea, quæ veneranda alias antiquitas ad eam explorandam propoſuit media; quibus enumerandis, cum ad ſcopum noſtrum parum aut nihil faciant, nolumus fruſtraneam collocare operam. Magis vero & certius illa a poſteriori eluceſcit, ſi nempe fœmina viro nupta potenti, poſitis ex parte hujus omnibus ad generandum requiſitis, tamen non concipiat. Cauſarum tamen exploratio plus medico in eas perſcrutanti faceſſit negotii. Equidem vitia conformationis in partibus organi generationis fœminei, congreſſui inſervientibus, facile innoteſcunt, quoniam & ſenſus incurrunt, & ex ægrotantium vel aliorum, quibus hæc committitur provincia, relatione (niſi intempeſtiva verecundia obſtet,)

medico

medico in ea inquirenti patefiunt. Internarum vero partium conceptioni & generationi deſtinatarum præternaturales diſpoſitiones cognoſcendæ paulo plus difficultatis habent; quid? quod haud raro plane occultæ & abſconditæ manent, & aliquando non, niſi poſt mortem, per *αὐτοψίαν* claræ fiunt; id quod maxime valet de orificii uteri interni obſtructione aut ſitu mutato, aut alia hujus & ipſius uteri, partiumque reliquarum, ad generationem facientium, mala conformatione; præprimis vero de ovariorum & tubarum Fallopii obſtructione graviori vel coalitu, eorundem hydrope, ſcirrhoſitate, exulceratione, aliaque ſuperius adducta vitioſa conſtitutione. Intemperiem vero uteri ſicciorem & calidam, partiumque ſolidarum rigiditatem, ſtricturam & ſubſidentiam ex defectu menſium, aut connato, aut ob vitæ genus laborioſum inducto, nec non intemperie totius corporis ſicca & calida, ſtatuque hectico ſubſumere licet; frigidam & humidam contra atque fibrarum laxitatem & atoniam fluor albus pertinax ac rebellior, hæmorrhagiæ uteri frequentiores, menſium fluxus nimius aut inordinatus, cachexia, ſcorbutus frigidus præſens radicatus, maxime vero defectus voluptatis in coitu, hinc hujus averſatio, indicant. Hydropem uteri, molas veras & ſpurias, ſeu concrementa uterina varia, uteri infarctum, per humores æque ac alias res ibi perſiſtentes factum, cancrum, ſcirrhum & ulcera ejusdem, obeſitatem nimiam, nervorum generationis organi paralyſin, & alia hujus indolis vitia, ſigna, in horum affectuum tractatione referri ſolita, patefaciunt. Maxime vero medicus inquirere debet in menſium ſtatum. Si enim hi deficiant conſtanter, nec, quod aliquando fit, propter *ἰδιοσυγκρασίαν* abſint, ordinarie fœminam talem, ſterilem futuram indicant. Hisce igitur ſignis ſi adnumerantur cauſæ expoſitæ remotiores, & una in ſubſidium vocantur, eo facilius ad certam, (quantum tamen poſſibile,) tum hujus affectus, tum ejus cauſarum cognitionem pervenire poterit medicus.

§. XXIV.

Ratione futuri ſtatus, & quidem primo ratione vitæ & mortis, plus tædii quam periculi ſterilitas ipſâ laborantibus adferre ſolet: utplurimum tamen partim ob menſtrui, partim lochialis ſanguinis debitam depletionem non fientem, aliasque cauſas, illæ

valetu-

valetudinariæ magis obſervantur, quam fœcundæ, licet præ his tardius ſeneſcant. Magis igitur attendendum venit tempus eventus. Quoniam enim ſterilitas morbus exiſtit chronicus, & plerumque tales cauſas agnoſcit, quæ haud ita cito ſubjugari poſſunt; ideo ſufficiens mora ad ejus curam felicem requiritur, ſi nempe hæc ſperari poteſt. Aliquando enim talis cauſa ſubeſt, quæ aut medici cognitionem ſubterfugit, aut ipſius medelæ plane illudit, aut ipſi acceſſum non permittit; ubi per totum vitæ tempus ſterilis manet fœmina. Modus eventus ad ſalutem conſiſtit in remotione cauſarum, ſeminis virilis admiſſionem impedientium & activitatem ejus extinguentium, prout igitur hæ vel facilius, vel difficilius, vel plane non deleri & auferri poſſunt, eo major vel minor vel nulla ſpes affulget ſterilitatis perſanandæ & fœcunditatis conciliandæ. Speciatim vero nulla curationis ſpes ſupereſt, ſi conformatio ita læſa eſt, eaque vel congenita, vel poſt ortum enata, ut nulla arte emendari queat. Dubium eventum promittunt excreſcentiæ carnoſæ circa orificium uteri internum enatæ, anguſtia vaginæ nimia, ipſius uteri atonia & intemperies ejus humida & frigida major & diuturnior, nec non ſicca atque calida talis, ipſaque ulcera matricis, aliaque. Salutem vero ſperare jubent vitia in externis partibus congreſſui deſtinatis hærentia, ad quæ acceſſus patet, ut occluſio vaginæ per membranam, coalitus ejus non profundior maxime poſt ortum demum ex prægreſſa parietum unitate læſa, ſiniſtre tractata, dependens; clitoridis & nympharum incrementum, ſitus uteri & vaginæ mutatus & ejus orificiorum conſtipatio ex procidentia uteri, intemperies uteri quævis nondum habituata nec congenita, ſed recens, fluor albus non inveteratus, concrementa uterina, molæ, & alia cavum uteri replentia, ſæpe ex eo, aptis adhibitis præſidiis, ſeceſſum ſumentia. Sterilitas in ſe conſiderata ad mortem non tendit; poteſt vero una alterave ejus cauſa ita augeri, ut tandem exitioſa evadat; ubi tamen non tam ex hoc quam potius alio morbo ægra moritur.

§. XXV.

Poſt ſterilitatis prognoſin tradenda eſt ejusdem cura. Cum vero morbum curare ſit nihil aliud, quam ipſius cauſas removere: ideo e ſupra dictis ſufficienter fluit, quod indicatio generalis in

 noſtro

noſtro affectu ſit, *ut conſtitutio p. n. partium genitalium mulie-brium vel admiſſionem ſeminis virilis impediens, vel ejusdem acti-vitatem extinguens, quantum poſſibile, ſit emendanda.* Quia ve-ro hæc conſtitutio p. n. varia eſt, & modo in harum partium mala conformatione, modo in intemperie, modo in ſoluta uni-tate, & ſatis frequenter in duobus, immo aliquando omnibus in-dicatis vitiis ſuum habet fundamentum: ideo etiam modo hoc, modo iſtud earum vitium erit deſtruendum, & ſi plura fuerint conjuncta, eadem etiam erunt conjunctim corrigenda.

§. XXVI.

Quod ad vitia conformationis manifeſtæ attinet, ea niſi profunde lateant, unice præſidiis chirurgicis fere emendari debent. Sic in iis, in quibus pudendorum orificium clauſum eſt, vel per membranam, vel per aliqualem coalitum parietum labiorum pu-dendi, vel ipſius vaginæ, &c. locum habet inciſio provida, facta ſcalpello acuto. Operatione vero peracta pro ſanguinis fluxu ſi-ſtendo iſchæma ſunt applicanda, vulvæque fiſtula plumbea blan-de eſt indenda cum medicamento epulotico, usque ad perfectam conſolidationem, ne labia vel parietes iterum conglutinentur. Si vero membrana ſuperflua poſt inciſionem adhuc adſit, eadem, niſi hæmorrhagia aliquando prohibeat, mox eſt auferenda, vel cul-tello vel forfice, prout res poſtulaverit. Non minus omnes ex-creſcentiæ, ſive fuerint fungoſæ, ſive carnoſæ, partes genitales occupantes, ac magis minusve obſtruentes, coitumque vel plane impedientes, vel ſaltem efficientes, ut ſemen maſculum in uteri cavum non penetrare queat, ſunt provide exſcindendæ, vel p. r. n. alia ratione lege artis removendæ, adhibitis itidem poſt operatio-nem convenientibus iſchæmis, & canali plumbeo, vel ex charta pergamena convoluta confecto cylindro, una cum medicamentis ſiccantibus, ſicut jam fuit dictum. Atque ejusmodi cylindrus, ci-tra illitum tamen vel adſperſum medicamentum ſiccans, in vagi-nam uteri blande intrudi, ibique ad aliquod tempus relinqui de-bet, ſi orificium, vel etiam canalis ipſius nimia anguſtia laborent, & penis non ſufficienter in antrum Veneris penetrare queat. Ete-nim cum hac ratione cylindrus talis propter humiditatem, quæ poros membranarum intrat, ſenſim intumeſcat & major fiat, ſen-

ſim

ſim quoque Veneris portam & viam patentiorem reddit. In ſpecie quoque clitoris & nymphæ, ſi ob magnitudinem nimiam congreſſui obſint, per abſciſſionem cautam, imminuendæ, & enata vulnera iſchæmis, ſiccantibus & balſamicis tractanda ſunt; ſicut hac de re in primis evolvi poſſunt *SOLINGII operat. Chir. lib. 1. c. 19. & l. 3. c. 27 33 & 36.* Si vero uterus actu prolapſus coitum impediat, idem erit provide ſurſum adigendus & reponendus; hoc enim facto congreſſus etiam fœcundus quandoque celebrari ſolet. Quanam vero ratione caute uteri prolapſi repoſitio fieri, immo hæc procidentia vel penitus, vel palliative ſaltem curari debeat, id egregie præter alios bonos ſcriptores chirurgicos & practicos expoſuit *D. D. PRAESES in Diſſertatione ſub ipſius habita præſidio de uteri procidentia.* Prudenter vero agunt mulieres ex affectu hoc laborantes graviori, ſi plane abſtineant a coitu, modo id ob varias rationes fieri queat. Nam ſi gravidæ factæ fœtum partu excludere debent, hic ut plurimum in partus laboribus extinguitur, quid? quod infelices matres aliquando etiam mortem tunc temporis facile oppetere ſolent. Aliquando etiam ſtudendum eſt, ſi concrementa polyopſa ex orificio uteri interno propendeant, ut eadem blanda tractione ſeparentur & evellantur.

§. XXVII.

Quemadmodum vero paragrapho antecedente indicata vitia malæ conformationis, dicta ratione, non raro curari poſſunt ac ſolent, ita contra, ſi talia in locis profundioribus organi genitalis muliebris hæreant, e. g. ſi tubæ Fallopianæ a primo ortu penitus occluſæ, aut eædem nimis breves vel longæ fuerint, vel ovaria a membrana nimis craſſa & ſcirrhoſa circumdata, tunc hæc vitia jam a nobis inemendabilia pronunciata ſunt, ideoque etiam nullam in cura merentur conſiderationem & occupationem, ſed fato ſunt concedenda.

§. XXVIII.

Dantur tamen vitia malæ conformationis poſt nativitatem demum enata, & tum in utero, tum tubis Fallopianis, tum ipſis quoque ovariis hærentia, quæ artem medicam non plane eludunt, ſed aliquando ipſius ope feliciter tolluntur. Talia vero vitia ſunt obſtructiones in his partibus præſentes, a variis enatæ ſupra recen-

ſitis cauſis, atque cum intemperie quadam illarum fere ſemper conjunctæ: adeoque his in caſibus enaſcitur indicatio: *Cauſa obſtructionem inferens, quæcunque fuerit, ſolicite eſt auferenda, & ſi conjuncta intemperies, eadem ſimul emendanda eſt.* Si igitur uteri cavitas & tubarum Fallopii inſertiones in uteri cavum obſtructæ fuerint, vel a portione placentæ relictæ, vel diverſi generis mola, vel ſanguine congrumato, aut glomeramine aſcaridum &c. tunc conveniunt medicamenta blanda emmenagoga, balſamica, abſtergentia, ſtimulantia, reſolventia, p. r. n. anthelmintica, ac ipſa laxantia, & conjunctim uterum purificantia dicta, varie inter ſe mixta, & ſub variis formis adhibenda. Laudem merentur inter hæc inſignem pilulæ Beccherianæ, Stahlianæ, Hoffmannianæ polychreſtæ, ſimilisve commatis, ad aliquod tempus continuatæ; nec non infuſa cum vino vel cereviſia parata p. r. n. e rad. leviſt. zedoar. angelic. bryon. ariſtol. rot. ver. hb. roſmar. ſabin. menth. Saracen. puleg. fl. cheir. calend. fol. Senn. rhabarb. Alex. mechoac. alb. &c. cum ſemine ammios, fœnicul. & croco; ex liquidis concentratis Elix. uterinum B. Wedelii, eſſ. ariſtoloch. rotund. ver. balſamica B. Slevogtii, ♂t. ⊕lat. antiſcorbut. myrrh. ſuccin. Elix. propriet. Eſſ. caſtorii, ⁓ carminativ. de tribus, ⁓ fuliginis, ſecundinæ humanæ, ſimiliaque; ex ſiccis in forma pulveris adhibendis ♁ ♂tial. cachect. ſpecies dianthos, pulv. & fecula bryoniæ, pulv. croci, ♁ nat. & ♁ii, pulv. rad. ari, myrh. ſuccin. ppt. teſtic. equi ppt. ſpec. diaborac. Mynſ. ♁ cachect. ♁inus Wedel. facile remiſcendus cum modica quantitate myrrhæ & borac. Venet. aliaque. Non minus pro hoc ſcopo uſus ſæpe eximii ſunt ſuffitus e myrrha rad. angelic. leviſtic. hb. ſabin. bacc. laur. croco & p. r. n. pomo colocynthidis excitati & verſus genitalia provide admiſſi; nec non vaporatus per decoctionem hb. mercurial. puleg. matricar. nepetæ, abrotani, ſcordii, roſmarini, veronicæ, ſalviæ, fl. calendul. & cheir. ſem. ſiler. mont. baccis laur. &c. c. ſ. q. ▽æ ſimpl. parati. Modus vero ejusmodi vaporationibus utendi hic eſt: Inditur ſcilicet olla, decocto dictarum herbarum moderate calido plena, ſellæ perforatæ, (einem hierzu beſonders bereiteten Nacht-Stuhle,) cui mulier hactenus infœcunda ita inſidere debet, ut vapores probe verſus genitalia pergere & in hæc penetrare queant; in quem

finem

finem ſumma femora totumque abdomen bene veſtibus ac linteis ſunt velanda, ut vapores eo melius ſub his contineantur ac genitalia ſubeant. Ejusmodi vero vaporationem mulier octo ex ordine diebus vel tamdiu in uſum vocare debet, (præmiſſis nempe & ſimul adhibitis pro hoc ſcopo convenientibus pharmacis internis;) donec corpus in utero hærens peregrinum fuerit excretum, ſi tale adfuerit, vel obſtructio, quam mucus viſcidus produxit, expedita. Ad eundem finem collineat etiam uſus balneorum abſtergentium, uterinorum & emmenagogorum e ſupra dictis ingredientibus paratorum; quibus facile jungi poſſunt rad. bryon. alth. ir. Flor. leviſtic. ac angelic. Non minus etiam ſalutares judicantur clyſteres uterini ex una alterave planta abſtergente & uterina, atque inprimis hb. mercurial. matricar. abrotan. veron. fl. cheir. per decoctionem cum aqua concinnati & cum melle mercurialis, vel anthoſato remixti. Si vero obſtructio & anguſtia partium genitalium a nimia ſanguinis in iis collecta copia & ab ipſa plethora dependeat, tunc hæc per V. S. quandoque etiam reiteratam, diætam magis tenuem; & moderatum corporis motum, imminuenda erit.

§. XXIX.

A cura vitiorum malæ conformationis partium genitalium muliebrium converto me ad tradendam curam intemperiei variæ earundem, ceu quæ conceptioni etiam obeſſe ſolet. Quoniam vero intemperies organi genitalis muliebris ut plurimum pro fundamento habet intemperiem in toto, ideo quoque cura ita dirigenda eſt, ut illa per hanc removeatur. Si igitur adſit intemperies frigida & humida, ſeu ſtatus cachecticus, tunc ipſi præſidiis congruis obviam eundum eſt, ſcilicet aperientibus, amaris, balſamicis, lenibus aromaticis & interpolatis laxantibus, purgantibusque benignis, nec non motu corporis moderato & diæta reliqua convenienti. Sin vero talis ſtatus originem debeat evacuationi menſium vel hæmorrhoidum conſuetæ ſuppreſſæ, tunc methodus his excretionibus ſuppreſſis ſolvendis apta adhibenda erit. Poſt uſum vero medicaminum intemperiei univerſali extinguendæ debitorum, etiam quædam præſidia adhiberi poterunt, quæ intemperiem hanc in organo genitali muliebri præſentem in primis reſpiciunt,

ſpiciunt, quorſum faciunt ſuffitus, clyſteres & ſuo modo vaporatus ex ingredientibus balſamicis uterinis & abſtergentibus jam §. 28. laudatis parati, nec non uſus thermarum variarum & cumprimis Carolinarum, Wolckenſteinenſium & Wisbadenſium providus in balneo admiſſus. Nec minus alia fibras & tonum partium hujus organi roborantia, ſpiritus excitantia & confortantia, Veneremque moderate ſtimulantia ſpecifica, præmiſſis univerſalibus, varia forma in uſum cedere poſſunt, qualia ſunt eleӕ. tryphera magn. diaſatyrion. rad. ſatyr. & eryng. condit. Zingib. in Ind. condit. conſerv. fl. anth. meliſſ. ſpec. diacalaminth. diambr. diamoſch. (puta in ejusmodi ſubjectis, quæ hæc odorifera ferre poſſunt) & aromaticæ omnes, viperæ & ex iis parata; ſuccolad. Ind. conf. alkerm. eſſ. & ſyrup. ſatyr. ſemen ammios, ſeſelios Cretic. ▽ magnanimit. Lauremberg. aliaque ex formicis pro interno æque atque externo uſu compoſita; ⊖ Λl. ℴℴſ. Sylv. eſſ. ambr. c. ♁. meliſſ. & id genus alia, apud auctores medicos paſſim proſtantia. Et quia fluor albus huic intemperiei ſæpe ſuos debet natales: ideo etiam hujus cura in hac methodo ſuum potiſſimum habet fundamentum. Ceu ſpecifica vero in hoc affectu commendari merentur decoct. lignor. in notabili quantitate lignum ſaſſafras recipiens, hujus & reliquorum lignorum eſſentia, nec non ſuccin. myrrh. balſam. de copaib. & peruvian. fl. hyper. ac medicamina e roſmarino parata, vel hunc largiter recipientia, aliaque Practicis ſatis nota.

§. XXX.

Quando vero medicus e ſignis præſentibus cognoſcit adeſſe in fœmina ſterili intemperiem calidam & ſiccam veteribus dictam, ſeu magnam inclinationem ad hecticam, vel hæc jam adſit, tunc hanc corrigere ſtudeat alimentis & medicamentis diluentibus ac temperantibus cumprimis, ſimulque attendat ad cauſas malum hoc foventes. Laudem itaque hoc in caſu merentur emulſiones e ſeminibus 4. frigid. maj. & amygdal. dulc. paratæ, it. nuces pineæ ac amygdala recentia excorticata frequenter comeſta, uſus lactis vaccini, caprilli & aſinini, maxime tempore verno & æſtivo, pulveres temperati e terris pinguibus, ut ▽ Lemn. ▽is ſigillatis, bolo Armen. C. C. philoſoph. nec non ſeminibus refrigerantibus parati;

item

item R̄æ ♂tiales variæ, ut cydoniata & pomata cum 🜄 ſummit. pin. & liquore 🜃æ foliat. 🜿ri remixtæ, R̄a ♂t. Zvvoelfferi, Ludovici, temperata Wedelii &c. His jungi poſſunt decocta e rad. alth. ſcorzoner. acetoſ. hb. coſt. tuſſilagin. plantagin. fl. pap. rhoed. malv. arbor. fl. bellid. fl. plen. rubr. raſur. ebor. & ſiliqua ceratonia parata; nec non potus aquarum medicamentoſarum naturalium temperatarum, quales cumprimis ſunt Selteranæ, quæ etiam cum lacte calido mixtæ bibi poſſunt, item Antonianæ, Germ. der Tönneſteiner, aliæque, ac denique uſus balneorum aquæ dulcis. In genere pro felici hujus affectûs obtinenda cura inquirat maxime medicus, an fœmina ſit cacochymica, & quali laboret cacochymia. Sique hoc cognoverit, eandem aptis præſidiis medicis, juxta methodum medendi, emendare ſtudeat. Cumque cacochymia ſcorbutica ſæpe ſterilitatis ſit quoque cauſa, hanc extirpare, ſi adfuerit, ſumme allaboret. Id quod etiam valet de ſpecifica iſta cacochymia acido-viſcida, quæ in lue venerea præſens, quandoque ſterilitatis cauſa exiſtit, omnium optime ſalivatione tuto inſtituta corrigenda.

§. XXXI.

Exulcerationi uteri & partium vicinarum ſi hæc in culpa ſit, interne debentur abſtergentia, travmatica & balſamica; quæ etiam externe conveniunt, una cum ſiccantibus circa finem curæ, in variis formis. Sic injectiones decocti in uterum & vaginam ejus, e rad. ariſtoloch. hb. abrotan. ſcordii, millefol. plantagin. ſanicul. fl. hyper. myrrha & maſtiche cum melle anthoſat. p. r. n. parati, additis interdum foliis nicotianæ Virginianæ, locum habent. Aliquando etiam cylindri ex linteis complicatis confecti & unguentis, pro rei exigentia vel balſamicis ac abſtergentibus, vel ſiccantibus illiti, applicari poſſunt. Rupturis vero ligamentorum uteri & peritonæi ipſius, ceu vicem ligamenti circa uterum quoque præſtantis, unde procidentia ejus oritur, dicata ſunt roborantia & travmatica, ac repoſitio uteri commoda, ejusque retentio per concinna retinacula, nec non quies ſatis longa in lecto, aliaque. Atque hæc de cura rationali ſterilitatis breviter dicta ſunto: cum reliqua e jam prolatis facile judicari queant. Placuit tamen de noſtri affectus cura pauca corollaria ſeu monita annectere.

COROLLARIA.

I. QVoniam felix ſterilitatis cura unice dependet a ſufficienti cognitione cauſarum, in hoc iſtove ſubjecto infœcundo occurrentium, ideo harum inquiſitioni ſedulæ maxime ſtudeat medicus.

II. Cauſis ſterilitatis in hoc vel iſto ſubjecto cognitis, facile eſt medico prædicere, an ſpes adſit ſterilitatem curandi, vel non.

III. Cognitio etiam ſufficiens cauſarum ſterilitatis facile medico rationali & docto ſuadet congrua præſidia medica, e fonte diætetico, pharmacevtico & chirurgico petenda, curæ ſterilitatis poſſibilis congrua.

IV. Atque ob hanc cauſam a commendatione farraginis prolixæ medicamentorum contra ſterilitatem abſtinuimus, & ſolum regimen generale cauſis diverſis obviam eundi exhibuimus.

V. Quoniam vero ſterilitatis cauſa corrigibilis admodum frequens eſt obſtructio pororum & tubarum Fallopianarum, nec non uteri ac ipſorum ovariorum a muco viſcido; ideo thermæ, balnea, vaporatus, atque ſuffitus in ſterilitate opem ſæpe præſtant eximiam.

VI. Salutare vero eſt fœminis ſterilibus non prius Venere uti, niſi poſt uſum dictorum penitus abſolutum, & rarius paulo maritorum, ſed ideo eo alacriorum, conſuetudine uti.

VII. In ſterilitatis cura medicus maxime ad ſtatum menſium reſpiciat, curetque, ut hi legitimo tempore, quantitate & qualitate prodeant; (niſi per ἰδιοσυγκρασίαν deficiant) nec non toni uteri rationem ſedulam gerat, ut etiam hic ſe bene habeat.

VIII. Sim. Paulli in Q. B. p. m. 571. fœminis ob habitum corporis nimis obeſum ſterilibus commendat pulverem hb. veronicæ in ▽a ejusdem per aliquot dies propinandum, atque X. vel XII. matronis idem remedium profuiſſe ſcribit.

IX. Regimen Diæteticum æſtimandum eſt ex iis, quæ de cauſis mediatis & procatarcticis cumprimis fuere dicta. Ita enim ſemper inſtituenda eſt diæta, ut vis cauſarum morbificarum non augeatur, ſed infringatur.

FINIS.

Triſte

Triſte ſolum, ſterilis ſine fruge, ſine arbore tellus,
Triſte & conjugium, charas quod ſanguine dotes
Abnegat, & fruſtra ſperatus quæritur hæres.
Hujus de ſterili *Tua* diſſertatio cauſas
Inquirit, quid ſit, cur fiat, quare medela?
Auſibus applaudo, *Tua* proſperet acta ſupremus:
Hoc eſt ſincero *Tibi* corde quod apprecor unum.

Amico pectore gratulatur
THODORVS EPHRAIM EMRICH, M. D.

Parturit almas ager, fruges cum fœnore reddit,
Non reddit ſterilis ſemina jacta ſeges.
Par eſt conjugii ratio, ſi quando penates
Prole carent, ſterilis dicitur eſſe torus.
Hos nunc affectus meditaris, *Fautor amande*,
Eruis, ac monſtras, unde medela fluat.
Ominor hinc laudem, famæque inſignia clara,
Digna *Tuis* ſtudiis, digna labore *Tuo*.

Inter ſincera vota ſcripſit
NATHANAEL THEOPHILVS EMRICH, M. D.

Spes alit agricolas ſcindentes vomere terram,
Quæ tum multiplici fœnore reddit opes.
Ackermanne Tuos reddebas hactenus agros
Ingenii cultos, jam Tibi reddit ager
Fructus. Doctrinæ qui ſic ſua ſemina ſpargit,
Ingenii fructus accipiet ſimiles.
Eſto: de ſterili Tua diſſertatio tractet,
At certe ingenii fertilitate paras.
Gratulor hanc meſſem, precor, ut ſub Numinis umbra
Conſervetur ager ſemper & agricola.
HInC non poenIteat DVros sVbIIſſe Labores,
sIVE operI InſoLItas atterVIſſe ManVs. (*)

(*) *Tibull.* l. 1. el. 4. v. 42.

Tenui modulatus avena
M. L. W. D.

Adgredere o magnos, aderit jam tempus, honores. Virg.

Dein Fleiß, Hoch-Edler Freund, der durch gelehrte Proben
Der Welt vor Augen legt, wie hoch er es gebracht,
Braucht keinen Anſtrich nicht. Ich muß es ewig loben,
Er hat ſich durch ſich ſelbſt beliebt und groß gemacht.
Er dringt auf Wiſſenſchaft, doch heckt er keine Grillen,
Erfahrung und Vernunft iſt ſein gewiſſer Grund,
Er machet keinen Wind, und doch thut er im ſtillen
Sein Lob viel herrlicher als mancher Prahler kund.
Ich ſehe zum voraus, wie ſich in ſpäten Tagen
Verdienſt und Ruhm und Glück zu **Deinem** Namen ſetzt.
Hygea bringt den Cranz und ſpricht: den ſolſt du tragen
Zum Zeugniß, daß ich **Dich** vor andern hochgeſchätzt.
Nimm ihn; denn **Dein** Bemühn hat ihn ſchon längſt verdienet,
Er ſoll der Erſtling ſeyn, der **Deinen** Ruhm erhöht:
Ich aber will ie mehr **Dein** Glücke blüht und grünet
Mich freuen, daß mein Herz in **Deiner** Freundſchaft ſteht.

Seine Hochachtung gegen den Herrn Dd. zu bezeugen,
ſchrieb dieſes
Chr. Wilhelm Kloß,
der H. GOttes-Gelahrheit Befliſſener.

Plaudite! Hygea venit, magnae praeconia laudis,
Vt referat ſtudii praemia digna TVI.
Auſpiciis hoc fit, Deus adnuit ipſe, ſecundis,
Hoc duce felicem rite capeſſe viam!

Ad teſtificandum ſtudium,
quo Praenob. Dn. Ddum proſequitur,
ſcrib.
CHRIST. GOTTLIEB RICHTER, Sil.
Med. artis Stud.

Affectus ſterilis præſtans quæ forma medelæ,
Fertilis ingenii pagina ſcripta docet.
Gaudeo ſucceſſum, Tua proſperet acta ſupremus,
Te Medico multam ſentiat æger opem.

amico pectore congratulabatur Opponens
CONRAD HARDWIG BLVM, Hannov.